OPUSCULUM CONTRA VULGARES QUASDAM PROPHETIAS DE...

Claude François Menestrier, Francis Porter

Digitized by Google

D[illegible] Florence 1500

P.30 Britan

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
ROMA
RA 412

REFUTATIO PROPHETIARUM FALSO ATTRIBUTARUM S. MALACHIÆ.

OPUSCULUM
Contra Vulgares quaſdam Prophetias
DE ELECTIONIBUS
SUMMORUM PONTIFICUM,
S. MALACHIÆ
ARCHIEPISCOPO ARMACANO
HIBERNIÆ PRIMATI,
Legato Apoſtolico, hactenus falsò attributas,
Gallicè primùm à R. P. Meneſtrier Soc Jeſu
editum, nunc novis Supplementis au-
ctum, & in Latinum Idioma
tranſlatum.

Adiunctis celebrium Authorum reflectionibus, & Judiciis de Abbatis Joachimi vaticiniis, ejuſque Spiritu Prophetico

OPERA
FR. FRANCISCI PORTER
HIBERNI
Ord. Fratrum Min. Sac. Theol. Lect. Jubilati, &
ſuę Majeſtatis Britannicę Theol. & Hiſtorici.

Ad Illuſtriſsimum, ac Reuerendiſsimum Dominum D.
JOANNEM MATTEIUM
ANCONITANUM.

ROMÆ, Typis Dominici Antonii Herculis in Via Parionis. 1698.
SVPERIORVM PERMISSV.

RA 412

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. D.
D. JOANNI MATTEI
ANCONITANO,
COMITI DE GLASINAZ &c.
Et Sac. Rom. Imperii Cæſareæ,
& Regiæ Majeſtatis
LEOPOLDI PRIMI,
Conſiliario Imperiali Aulico,
Eccleſiæ Sanctiſs. Crucifixi
Sirolenſis Priori
Digniſſimo
&c.

IN ſinum humanitatis Veſtræ Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine accurrit brevis hæc elucubratio, in venerandæ Antiquitatis viſceribus, nudam detectura

veritatem; & toleratæ hactenùs nonnullorum inſcitiæ à neſcio quibus deluſæ commentis, ſincerum oppoſitura candorem, & fucatis ineptiis, teſſeram incorruptæ ſimplicitatis: ſed ne ſiniſtra fata, quæ ſtudioſos ſubindè labores, innocuos exercent, & inpoſthumos velut tutore carentes, licentius deſæviunt, experiatur, aut metuat hæc eadem oppella, in publicum educta conſpectum Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ, non tam ambit, quam ſpe certa præoccupat clientelam. Nec alius ſanè aut potuit juſtius, aut fidentius aſſumi Patronus, quam is, cujus Familia è primaria Regni Boſniæ Nobilitate, ex Illuſtrioribus Hungariæ Familiis, nulli ſecunda, Antiquitate Stirpis, ſplendore generis inclyta Franciſcanam Familiam, tantis olim beneficiis cumulavit,

tam

tam benigna tutela protexit, dum ſuis potiretur dominiis; Illa inquam Familia, quæ ut Cæſarum conſtat oraculo Vitam, Opes, Sanguinem cum ditionum ſuarum jactura contra nominis Chriſtiani hoſtes, tam generosè, quam conſtanter expoſuit. Accipe igitur Illuſtriſſime Domine, devoti animi exiguum munuſculum quod libens offert dicatque. Romæ 25. Octobris 1698.

Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ

Obſequentiſſimus Servus
Fr. Franciſcus Porterus.

R. MATTHÆUS à S. Stephano totius Ordinis Fratrum Min. Seraphici S. P. Noſtri Franciſci Min. Generalis, & Seruus &c.

Dilecto nobis in Chriſto P. Franciſco Porter ejuſd. inſtituti S. Theol. Lect. Jubilato &c.

CUm Opuſculum à te elucubratum contra vulgares quaſdam Prophetias Sancto Malachiæ Hiberniæ Primati falsò attributas, juſſu noſtro R. P. Philippus Maguier Provinciæ noſtræ Hiberniæ Sac. Theol. Lector Jubilatus, diſcuſſerit, & examinaverit dignumq; luce publica ſuo teſtimonio cenſuerit, hinc facultatem tibi impertimur, ut prædictum opuſculū, typis evulgare poſſis, ſervatis de reliquo Sac. Tridentini Concilii, Apoſtolicarum, & Generalium noſtri Ord. Conſtitionum præſcriptis. Datum Romæ in Conventu noſtro Aracælitano die 1. Maii 1698.

Fr. Matthæus à S. Stephano Min. Generalis &c.

Loco ✠ Sigilli.

De mandato Suæ Reverendiſs. P. Fr. Nicolaus de Leon Secr. General. Ord.

EX Commiſſione Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. Fr. Paulini Bernardinii Librum, cui titulus: Opuſculum contra vulgares quaſdam Prophetias de electionibus Summorum Pontificum S. Malachiæ Archiepiſcopo Armacano, Hiberniæ Primati, Legato Apoſtolico, hactenus falsò attributas &c. Opera Fr. Franciſci Porter Hiberni Ord. Fratrum Min. &c. Diligens perlegi. In quo ſumma perſpicuitate, ac pari ubertate demonſtratur dictorum Vaticiniorum vanitas dignum itaque cenſeo veritatis indemnitatem, ac publicam utilitatem Typis demandari. Datum Romæ in Coll. Vrb. de Propaganda Fide die 16. *Maii* 1698.

Franciſcus Dominicus Bencini Sacræ Theologiæ Doctor, in eodem Collegio Theolog. Moralis Lector, & Bibliothecæ Cuſtos.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Apoſt. Palatii.

Dominicus Belliſarius Epiſcopus Melphicten. Viceſger.

Imprimatur,

Fr. Gregorius Sellari Magiſter, Reverendiſs. P. Fr. Paulini Bernardinii Sac Ap. Palatij Magiſtri Socius, Ordinis Præd.

PRÆFATIO

Ad benevolum Lectorem.

DUm Eccleſiaſticis Annalibus Regni Hiberniæ ſcribendis incumberem, incidi in tractatum Gallicum editum ab erudito Viro P. Meneſtier Societatis Jeſu contra Prophetias de electionibus Summorum Pontificum ducto exordio à Cæleſtino Secundo; falsò attributas Sancto Malachiæ Archiepiſcopo Armacano, Hiberniæ Primati, & Legato Apoſtolico, quæ quidem prædictus Author accuratè ad trutinam Veritatis, expenſas, ſolidè demonſtrat eſſe, vana quædam commenta excogitata, & ſtructa ut ex decurſu examinis videre licet à quodam Sycophanta, qui callide hac arte, Papatum acquirere, & augurari moliebatur, cuidam Cardinali ſuo Patrono, ut verò aſtutius præ-

dictio-

dictionibus huiuſmodi plauſibilem conciliaret authoritatem, commentitia ſua effata, ex rebus iam præteritis, de quibus facile eſt divinare uſque ad Conclave illud, in quo ſperabat intentum, confinxit, hac vafritie imitatus Photium C. P. Patriarcham, qui ut reditum ſibi ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum, & Baſilij Imperatoris Gratiam patefaceret, illius Genealogiam ex ſe obſcuram à magno Thiridate Armeniorum Rege deſcendiſſe commentus, novo excogitato nomine his litteris Beclas *expreſſo, filios ejus ad Imperium promouendos eſſe auguratus eſt, vocis præfatæ initiales litteræ nomen Baſilij, Vxoris, ac filiorum referebant* B. *Baſilium* E. *Eudoxtiam* C. *Conſtantinum filium* L. *Leonem filium* A. *Alexandrum filium* S. *Stephanum filium, ita ut ex his ſex litteris* B. E. C. L. A. S. *prædicta fabricaverit nomina, ſed licet his artibus Photius, in gratiam Imperatoris admiſſus Conſtantinopolitanum Thronum Sacrilegus inuaſor denuo conſcenderit; non pari ſorte horum commentorum fabricator ſua ſucceſſit aſtuta calliditas, nam dum mortales fallere machinabatur,*

batur,

batur, num Deum Judicem, num Spiritum S. Eccleſiæ Sanctæ Doctorem fallere potuit? Certe in eo ipſo Conclavi, ubi ſcopum aſſequi credebat ut videbimus, cogitauit conſilium, quod non potuit ſtabilire, & quamuis inficiandum non ſit in Eccleſia Chriſti viguiſſe, & vigere Prophetiæ donum, & complures Sanctos, Sanctasq; prophetico dotari, ac dotatos fuiſſe Spiritu, Vaticinia tamen, de quibus in hoc tractatu agitur, de illorum dici poſſunt genere, de quibus Eccleſiaſtici 34. verſ. 5. divinatio erroris, & auguria mendacia, & Somnia malefacentium Vanitas eſt, & verſ. 7. multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Quia vero Sanctus Malachias noſter, *cujus acta ſuo loco referemus, fingitur horum Vaticiniorum Author, & mihi animus eſt, res Patriæ, quam accuratè fieri poteſt tractare, & legitima à ſpuriis, vera à falſis, ſyncera ab Apocryphis ſeparare, in eo conatum impendam, ut eidem Sancto aliiſque Illuſtribus Hiberniæ noſtræ viris nec vera laus detrahatur, nec affingatur commentitia; qui utique falſo non gaudent honore. Quare*

ope-

operæ pretium duxi, tractatum hunc latino idiomate à me donatum, & ſupplementis noviſque obſeruationibus auctum, publici juris facere, ut Spiritus Prophetici larua, ſub qua hactenus præfata Vaticinia latebant, illis auferatur, & mera eſſe figmenta cognoſcantur: cum autem Ioachimus Abbas in ſuis Enigmaticis expoſitionibus, & Vaticiniis quibuſdam, tam de Summis Pontificibus, quam aliis rerum ſtatibus Prophetæ exiſtimationem apud multos obtinuit, Celebrium Authorum opiniones, judicia, & cenſuras de illius elucubarionibus, & effatis adiungo, ut non Prophetias, ſed humanas tantummodo dediſſe coniecturas appareat. Vale.

PRÆAMBULUM.

SAnctus Malachias, cui Prophetiæ de quibus nunc acturi ſumus, attribuuntur, floruit Sæculo duodecimo, fuit & ſanctitatæ vitæ, & Divi Bernardi familiaritate celebris. Benchorenſis Cœnobii in Hibernia Monachus, & reſtaurator mox Eccleſiæ Dunenſis antiſtes, deindè Armacanus Archiepiſcopus, Hiberniæ Primas, ac Legatus Apoſtolicus, prædicto Archiepiſcopatu dimiſſo, ad Dunenſem Eccleſiam denuò redivit: eum Innocentius II. ob præclaras ejus virtutes plurimi fecit, & Romam appulſum eximio in honore habuit: obiit in Monaſterio Clarevalenſi inter brachia Sacti Bernardi ſui amici, qui compendium ejus vitæ, & funebre compoſuit elogium, eidemquè olim tres

exa-

exaravit Epiſtolas, nempe 315. 316. 317. *hic ergo ille eſt, quem nonnulli Probpetiarum de Romanis Pontificibus faciunt Auctorem: Quod an ita ſit, & qualem illæ mereantur fidem, in progreſſu videbimus.*

§. Primus.

Recenſentur prætenſa illa Vaticinia de Summorum Pontificum Electionibus, S. Malachiæ hactenus afficta.

PROPHETIÆ

S. MALACHIAE ARCHIEPISCOPI

DE SUMMIS PONTIFICIBUS.

Ex Caſtro Tyberis.
COELESTINVS II.
Typhernas.
Inimicus Expulſus.
LVCIVS II.
De Familia Cacceanemica.
Ex magnitudine Montis.
EVGENIVS III.
Etruſcus Oppido Montis magni.
Abbas Suburranus.
ANASTASIVS IV.
De Familia Suburra.

E rure albo.

ADRIANVS IV.

Natus in Oppido Sancti Albani.

Ex tetro carcere.

VICTOR IV.

Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Via Transtyberina.

CALIXTVS III.

Guido Cremonenſis Card. S. Mariæ Tranſtib.

De Pannonia Thuſchiæ.

PASCHALIS III.

Antipapa Hungarus natione, Epiſc. Tuſcul.

Ex Anſere Cuſtode.

ALEXANDER III.

De Familia Paparona.

Lux in oſtio.

LVCIVS III.

Lucenſis Cardinalis Oſtienſis.

Sus in Cribro.

VRBANVS III.

Mediol. Familia Crivella quæ ſuem gerit pro Armis.

Enſis Lurentii.

GREGORIVS VIII.

Cardinalis Sancti Laurentij in Lucina cujus inſignia enſes falcati.

De Schola exiet.

CLEMENS III.

Romanus Domo Scholari.

De Rure Bovenſi.

COELESTINVS III.

Familia Bovenſi.

Comes ſignatus.

INNOCENTIVS III.

Familia Comitum Signiæ.

Canonicus de Larere.

HONORIVS III.

Familia Sabella Canonicus Lateranenſis.

Auis Oſtienſis.

GREGORIVS IX.

Familia Comitum Signiæ Epiſc.

Card. Oſtienſis.

Leo Sabinus.

COELESTINVS IV.

Mediolanenſis cuius inſignia Leo Epiſcop.

Card. Sabinus.

Comes Laurentius.

INNOCENTIVS IV.

Domo Fliſca Comes Lauaniæ Card. Sancti Laurentij in Lucina.

Signum Oſtienſe.

ALEXANDER IV.

De Comitibus Signæ Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis.

Hieruſalem Campaniæ.

VRBANVS IV.

Gallus Trecenſis in Campania Patriarcha Hieruſalem.

Draco depreſſus.

CLEMENS IV.

Cujus inſignia Aquila vnguibus draconem tenens.

Anguinus vir.

GREGORIVS X.

Mediolanenſis Familia Vicecomitum, cujus inſignia anguis.

Concionator Gallus.

INNOCENTIVS V.

Gallus Ordinis Prædicatorum.

Bonus Comes.

ADRIANVS V.

Ottobonus Familia Fliſca ex Comitibus Lavaniæ.

Piſcator Thuſcus.

IOANNES XXI.

Antea Ioannes Epiſcopus Card. Tuſculanus.

Roſa compoſita.

NICOLAVS III.

Familia Vrſina quæ roſam gerit, dictus compoſitus.

Ex teloneo Iliacæci Martini.

MARTINVS IV.

Cujus inſignia lilia, Cano nicus, & Theſaurarius S. Martini Turonenſis.

Ex Roſa Leonina.

HONORIVS IV.

Familia Sabella cujus inſignia Roſa à Leonibus geſtata.

Picus inter eſcas.

NICOLAVS IV.

Picenus Patria Aſculanus.

Ex eremo celſus.

COELESTINVS V.

Vocatus Petrus de Morrone Eremita.

Ex vndarum benedictione.

BONIFACIVS VIII.

Vocatus prius Benedictus Caetanus, cujus inſignia vndæ.

Concionator Pataræus.

BENEDICTVS II.

Qui vocabatur Frater Nicolaus, Ordinis Prædicatorum.

De feſſis Aquitanicis.

CLEMENS V.

Natione Aquitanus, cujus inſignia feſſæ erant.

De Sutore oſſeo.

IOANNES XXII.

Gallus Familia Oſſa, Sutoris filius.

Corvus Schiſmaticus.

NICOLAVS V.

Qui vocabatur F. Petrus de Corbario contra Joannem XXII. Antipapa Minorita

Frigidus Abbas.

BENEDICTVS XII.

Abbas Monaſterÿ fontis frigidi.

Ex Roſa Attrebatenſi.

CLEMENS VI.

Epiſcopus Attrebatenſis, cujus inſignia Roſæ.

De

De Montibus Pammachij.

INNOCENTIVS VI.

Cardinalis SS. Joannis, & Pauli T. Panmachij, cujus inſignia ſex montes erant.

Gallus Vicecomes.

VRBANVS V.

Nuncius Apoſtolicus ad Vicecomites Mediolanenſes.

Novus de Virgine forti.

GREGORIVS XI.

Qui vocabatur Petrus Belfortis Cardinalis S. Mariæ novæ.

De Cruce Apoſtolicâ.

CLEMENS VII.

Qui fuit Presbyter Cardinalis SS. duodecim Apoſtolorum, cujus inſignia Crux.

Luna Coſmedina.

BENEDICTVS XIII.

Antea Petrus de Luna, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin.

Schiſma Barchinonicum.

CLEMENS VIII.

Antipapa qui fuit Canonicus Barchinonenſis.

De Inferno Prægnanti.

VRBANVS VI.

Neapolitanus Prignanus, natus in loco qui dicitur infernus.

Cubus de mixtione.

BONIFACIVS IX.

Familia Tomacella Genuæ Liguriæ orta, cujus inſignia Cubi.

De meliori Sidere.

INNOCENTIVS VII.

Vocatus Coſmus de Melioratis Sulmonenſis, cujus inſignia Sydus.

Nauta de Ponte Nigro.

GREGORIVS XII.

Venetus Commendatarius Eccleſiæ Nigropontis.

Flagellum Solis.

ALEXANDER V.

Græcus Archiepiſcopus Mediolanenſis, cujus inſignia Sol.

Ceruus Syrenæ.

IOANNES XXIII.

Diaconus Cardinalis S. Euſtachii qui cum cervo depingitur, Bononiæ Legatus Neapolitanus.

Colum-

Columna veli aurei.

MARTINVS V.

Familia Colonna, Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum.

Lupa Cæleſtina.

EVGENIVS IV.

Venetus Canonicus ante Regularis Cœleſtinus, & Epiſcopus Senenſis.

Amator Crucis.

FELIX V.

Qui vocabatur Amadæus Dux Sabaudiæ cujus inſignia Crux.

De modicitate Lunæ.

NICOLAVS V.

Lunenſis de Sarzana, humilibus parnetibus natus.

Bos paſcens.

CALISTVS III.

Hiſpanus, cuius inſigna Bos paſcens.

De Capra, & Albergo.

PIVS II.

Senenſis qui fuit, à ſecretis Cardinalibus Capranico, & Albergato.

De

De Ceruo, & Leone.

PAVLVS II.

Venetus qui fuit commendatarius Eccleſiæ Ceruienſis, & Cardinalis Tituli Sancti Marci.

Piſcator Minorita.

SIXTVS IV.

Piſcatoris filius Franciſcanus.

Præcurſor Siciliæ.

INNOCENTIVS VIII.

Qui vocabatur Ioannes Baptiſta, & vixit in Curia Alphonſi Regis Siciliæ.

Bos Albanus in Portu

ALEXANDER VI.

Epiſcopus Cardinalis Albanus, & Portuenſis cuius inſignia Bos.

De paruo homine

PIVS III.

Senenſis Familia Piccolominea.

Fructus Iouis iuuabit.

IVLIVS II.

Ligur, eius inſignia Quercus, Iouis arbor.

De craticula Politiana.

LEO X.

Filius Laurentij Medicei, & Scholaris Angeli Politiani.

Leo Florentius.

ADRIANVS VI.

Florentij filius, eius inſignia Leo.

Flos Pilei Ægri.

CLEMENS VII.

Florentinus de domo Medicea, eius inſignia Pilæ, & Lilia.

Hiacinthus Medicorum.

PAVLVS III.

Farneſius, qui lilia pro inſignibus geſtat, & Cardinalis fuit Sancti Coſmæ, & Damiani.

De Corona montaria.

IVLIVS III.

Antea vocatus Ioannes Maria de Monte.

Frumentum Flocidum.

MARCELLVS II.

Cuius inſignia ceruus, & frumentum, ideò floccidum, quod pauco tempore vixit in Papatu.

De fide Petri.

PAVLVS IV.

Antea vocatus Ioannes Petrus Caraſſa.

Eſculapii pharmacum.

PIVS IV.

Antea dictus Ioannes Angelus Medices.

Angelus Nemoroſus.

PIVS V.

Michael vocatus, natus in Oppido Boſchi.

Medium corpus pilarum.

GREGORIVS XIII.

Cuius inſignia medius Draco, Cardinalis creatus, à Pio IV. qui pilas in armis geſtabat.

Axis in medietate Signi.

SIXTVS V.

Qui axem in medio Leonis in armis geſtat.

De rore Cæli.

VRBANVS VII.

Qui fuit Archiepiſcopus Roſſanenſis in Calabria ubi manna colligitur.

Ex antiquitate Vrbis.

GREGORIVS XIV.

Pia Ciuitas in Bello.

INNOCENTIVS IX.

Crux

Crux Romulea.
CLEMENS VIII.
Vndoſus Vir.
LEO XI.
Gens peruerſa.
PAVLVS V.
In tribulatione pacis.
GREGORIVS XV.
Lilium, & Roſa.
VRBANVS VIII.
Iucunditas Crucis.
INNOCENTIVS X.
Montium Cuſtos.
ALEXANDER VII.
Sidus olorum.
CLEMENS IX.
De Flumine Magno.
CLEMENS X.
Bellua inſatiabilis.
INNOCENTIVS XI.
Pœnitentia glorioſa.
ALEXANDER VIII.

Raſtrum in porta.

INNOCENTIVS XII.

FLORES circumdati.

De bona religione.

Miles in bello.

Columna excelſa.

Animal rurale.

Roſa Vmbriæ.

Vrſus Velox.

Peregrinus Apoſtolicus.

Aquila rapax.

Canis & Coluber.

Vir religioſus.

De balneis Ethrurię.

Crux

Crux de Cruce.

Ignis ardens.

Religio depopulata.

Fides intrepida.

Paſtor Angelicus.

Paſtor, & Nauta.

Flos Florum.

De medietate Lunę.

De labore Solis.

Gloria Olivæ.

n perſecutione extrema S. R. E. ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oves in multis tribulationibus: quibus tranſactis Civitas Septicollis diruetur, & Iudex tremendus iudicabit Populum ſuum.

§. Secundus:

Expenditur auctoritas, & fides iſtarum prædictionum.

PRæfata Vaticinia de Verbo, ad Verbum deſcripta ſunt ex Arnoldo Wyon qui Cap. quadrageſimo primo operis inſcripti *Lignum vitæ* lib. 2. illa refert eo tenore, & forma qua huc uſque recenſita ſunt, quibus ſequentia verba ſubjungit, *quæ* inquit *ad Pontifices adiecta, non ſunt ipſius Malachiæ, ſed Reuerend. P. Alfonſi Ciaconij Ord. Prædicatorum, hujus Prophetiæ interpretis.*

Habemus igitur fontem & originem iſtarum Prophetiarum, quæ ab annis octoginta, & amplius ſuos invenere ſequaces, eo quod nemo illa penitius inſpexerit, vel curaverit diligentius expendere. R. Pater D. Joannes Germanus in lib. Italico inſcripto *Vita geſta, & prædictiones circa Summos Pontifices Romanos, Glorioſi Patris Sancti Malachiæ Ordinis Ciſtercienſis, Me-*

tropolitani, primatis; & Legati Apoſtolici Hiberniæ, fuſè in prædicta Vaticinia ſcripſit, vt fidem & auctoritatem ipſis conciliaret inſtituto Paralello,& collatione inter eadem, & Vaticinia Ioachimi Abbatis, proteſtatus tamen illorum explicationibus, ſe eam ſolam fidem cenſere habendam, quæ puræ narrationis humanæ certitudinem non ſupergrediatur,& quam habent apud authores illas referentes; Hanc autem fidem nunc aggredimur diſcutere; & vt hinc ordiamur, memoratæ prædictiones âttentius expenſç tam ſunt, ineptæ, impertinentes, alienæ a vero, erroneæ, & falſæ ut mirum ſit, eas tantam hucuſque apud vulgus obtinuiſſe auctoritatem.

Et in primis certum eſt, nullum Scriptorem de illis vel verbum feciſſe ante Arnoldum wyon, qui ipſas in ſuis placitis anno 1595. Venetijs, ubi morabatur, imprimi curauit, itaut hujuſmodi effata quadringentis integris annis, in tenebris oblivionis jacuerint ſepulta, quin ulla unquam de eis fuerit facta mentio.

Divus

Divus Bernardus qui Malachiam vidit in Monaſterio Clarevallenſi, ubi mortui clauſit oculos, qui tres ipſi in Hiberniam ſcripſit Epiſtolas, qui funebrem illius recitauit orationem, Epitaphium compoſuit, qui minimas ejus prædictiones præſertim loci, & temporis quo obiit exacte retulit, nec tamen verbum facit de ſuppoſitis his Vaticiniis.

Nec verò vlla apparet occaſio, ullum motivum, cur Malachias hjuſmodi prædictiones ederet: uno dumtaxat menſe Romæ hæſit ſub Pontificatu Innocentii II: ut pro duabus Metropolitanis Eccleſiis pallium obtineret, S. Benardus deſcripſit fideliter Melachiæ cum Pontifice colloquia, & tractatus, honores per eundem illi collatos tacitis interim, & alto ſilentio prætermiſſis his Prophetiis ſciſma jam quod Eccleſiam vexabat, erat extinctum, Anacletus Antipapa defunctus, atque adeò nulla ſubfuit cauſa, cur idem Sanctus loqueretur de ſucceſſione Pontificum, nec habebatur conclave, dum idem Romæ moram trahebat, Innocentius Ponti-

ſex; adhuc ſex annis poſt confectum à Malachia iter fuit ſuperſtes.

Nullus author eorum temporum illa commemorat, non otho Frigingenſis, non Joannes Sarisburienſis, Carnotenſis Epiſcopus, non Petrus Venerabilis, Cluniacenſis Abbas, qui fuit Romam vocatus, qui tot ad Pontifices exaravit Epiſtolas: occupatus in tot gravibus Eccleſiæ negotiis, & quidem difficilioribus temporibus, quibus ob Sancti Malachiæ famam, & virtutum odorem, ejus prædictiones maximi forent ponderis, ſi tunc notæ, ſi nomine, & meritis tanti viri fuiſſent munitæ.

Tot celebres viri, qui ab obitu Malachiæ, Summorum Pontificum acta ſcripſerunt de iſtis Prophetiis, altè ſilent, ſilet continuator Mariani Scoti, ſilent Bordinus, Platina, Papyrus Maſſonus, Onuphrius Pannuinus, Joannellus, qui anno 1570. Vitas Pontificum, ex Synchronis Authoribus deprompta, ſub hoc titulo in lucem edidit; videlicet *Pontificum Romanorum liber ex germanis Veteribus deſumptus per Franciſcum Joannellum* 1570;

No-

Noſtrates Hiberni, qui adeò diligentèr, adeò ſollicite incubuerunt ſcribendis miraculis geſtiſque Sanctorum patriæ ſuæ, atque evulgarunt acta Sanctorum Patricii, Columbæ Abbatis, Brigidæ Virginis, velut trium Prophetarum, eorumque viſiones ac Vaticinia retulerunt, nullam de Malachiæ Prophetiis mentionem faciunt.

Solus Thomas Meſſingham Presbyter, director Seminarii Pariſienſis Hibernorum, anno 1624. Typis Sebaſtiani Cramoiſij edidit vitas quorundam Sanctorum Hiberniæ ſub iſto titulo Florilegium Inſulæ Sanctorum Hiberniæ, quibus acceſſerunt non vulgaria monumenta; hoc eſt S. Patricii purgatorium, Sancti Malachię Prophetiæ, de Summis Pontificibus: ad calcem vitæ Sancti Malachiæ ex Divo Bernardo integrè deſcriptam, adjungit hæc effata iſto præfixo titulo, *Prophetia Sancti Malachiæ Archiepiſcopi Armacani totiuſque Hiberniæ primatis, ac Sedis Apoſtolicæ Legati, de Summis Pontificibus ex Arnoldo Wyon lib. 2. cap. 41. pag. 307.*

Robertus Ruſca in ſuo opere de viris Il-

luſtribus Ordinis Ciſtercienſis, agit etiam de Sancto Malachia, & prædictis Vaticiniis, hauſtis utique ex iiſdem fontibus, e quibus eas deprompſit Meſſinghamus; ſed Angelus Manriquez, qui tribus voluminibus complexus eſt Annales prædicti Ordinis agit ſatis fusè ſub finem primi, & in principio ſecundi voluminis, de Sancto Malachia non ſolûm, non allegat iſtas Prophetias, eaſve prædicto Sancto attribuit, ſed potius reiicit, ac refutat, veluti Appocryphas, ridiculas, extravagantes, & Robertum Ruſca impugnat. *Robertus Ruſca*, inquit, *Sanctum Pontificem ſcilicet Malachiam Scriptoribus annumerat, ob oracula quædam ſeu prædictiones de Summis Pontificibus ad finem uſque mundi Succeſſuris, quas ab Arnoldo Wyon vulgatas eſſe tranſſcribit, ſed Apocriphas, ut coniectare licet, nec ſatis Sapientes gravitatē viri Sanctiſſimi Ita ille tom. 2. Annalium cap. 12. an. 1148. num. 5.*

Cardinalis Baronius, Henricus Spondanus Apamienſis Epiſcopus, Abrahamus Bzovius, Odericus Raynaldus qui Anna-

lium

lium Eccleſiaſticorum Volumina ediderunt, nec verbum quidẽ de hujuſmodi prę-dictionibus habent, ne quidem, ipſe Alphonſus Ciaconius qui Summorum Pontificum, & Cardinalium vitas in lucem emiſit, & à quò Arnoldus Wyon ait prædicta Vaticinia fuiſſe expoſita.

Hoc quadringentorum annorum, & tot gravium Authorum ſilentium vehementem parit ſuſpicionem, illas prophetias eſ-eſſe commentitias.

Quandoquidem verò Arnoldus Wyon eas mundo obtruſerit, operę pretium erit, quis fuerit hic Author, quale illius opus, cui illas prædictiones inſeruit, oſtendere, fuit Belga ex Oppido Duacenſi Religioſus Ordinis D. Benedicti, qui ob tumultus ab hęreticis contra gubernium ſuſcitatos, coactus fuit in Italiam confugere & Congregationi Sanctæ Juſtinæ de Padua Montis Caſſini nuncupatæ, ſe adſcribere, in hoc ſeceſſu, duo compoſuit opera, primum fuit genealogia familię Aniciæ, ex quæ prętendebat S. Benedictum, & domum Auſtriacam traxiſſe ori-

ginem, ſecundùm fuit hiſtoria virorum illuſtrium ſui Ordinis, utrique operi prę- fixit hunc Titulum *Lignum Vitæ* eo quod eſſent arbores genealogicæ, ſic autem ea opera inſcripſit.

Lignum vitæ, ornamentum, & Decus Eccleſiæ in quinque libros diuiſum, in quibus totius Sanctiſſimæ Religionis D. Benedicti initia, Viri dignitate, doctrina, Sanctitate ac Principatu clari, deſcribuntur, & fructus, qui per eos S. R. E. acceſſęrunt, fuſiſſimè explicantur. Auctore D. Arnoldo Wyon Belga Duacenſi, Monaco S. Benedicti de Mantua, Ordinis D. Benedicti nigrorum Congregationis Caſſinenſis, alias S. Juſtinæ de Padua acceſſit dilucidatio, quomodo Principes Auſtriaci originem ducant ex Anicia Romana familia, quæ erat D. Benedicti: Venetiis apud Georgium Angelerium 1595.

Hæc duo opera duobus Voluminibus comprehenſa in quarto dedicavit Philippo Secundo Hiſpaniarum Regi: *Sic Philippo Secundo Anicio, Probo, olibrio Pier Leonio, Frangipanio, Hasburgio, Auſtrio, Hiſpaniarum Regi Catholico, potentiſſimo, & invictiſſimo.*

Prę-

Præfata opera in nonnullis reprehendit P. Meneſtier. Quare ob confuſionem vix inter eruditos hiſtoricæ notitiæ peritos, & ſolertes, invenies qui prophetiis iſtis ab ipſo allegatis, fidem preſtent.

Scopus ſecundi operis eſt tabula quędam Ordinis Sancti Benedicti ſculpta, & impreſſa, ab ipſo Wyone, ut probabile eſt, excogitata, ſaltem liber ille totus eſt in explicanda prædicta tabula, in qua ſub figura ſeptem montium quorum alii aliis ſunt impoſiti, & unius arboris ingentis, in plures diviſę ramos, ac Sancti vicem trunci gerentis, exhibentur Sancti, & viri Illuſtres Ordinis Benedictini: ideam ſuam formavit ex arbore vitæ quam Sanctus Joannes in ſua Apocalypſi, vidit, & expoſuit ita ut totus hic liber ſit mera viſio. S. Benedictus ibi repreſentatur Sedens tenenſq; in dextera manu ſuarum inſtitutionum librum, in Siniſtra nudum gladium, duodecim Stellis coronatus, à dextro, & ſiniſtro latere viſuntur fundatores diuerſarum Congregationum, ſub regula ejuſdem Sancti ſin-

ſinguli infronte Stella inſigniti nuncupati in libro ſtellati ſpiritualium , & militarium Ordinum Fundatores.

S. Romualdus Camaldulenſium, S. Joannes Gualbertus, Vallis Umbroſę, S. Robertus Ciſtercienſium, S. Gulielmns, Montis Virginis , S. Joannes Meda Humiliatorum . S. Petrus Cœleſtinus Cœleſtinorum . S. Bernardus Tolomenſis à Senis, Montis Oliueti fundatores, dexterum S. Benedicti latus, occupant. Siniſtrum verò fundatores Ordinum Militarium Alphonſus Primus Rex Aragonię Ordinis de Avis, S. Raymundus Abbas, & Sancius Caſtellę Rex, Ord. de Calatrava, Gomezius Ferdinandus Ordinis de Alcantara. Jacobus Primus Aragonię Rex, Ordinis B. Virginis de Mercede D: Dionyſius de Pericca Rex Luſitaniæ Ordinis Chriſti. Coſmus Medices Magnus Hetrurię Dux, Ordinis Sancti Stephani Papę & Martyris; harum figurarum interprętationē in primo ſuo libro exhibet pręfatus auctor, necnon compendium vitę cujuslibet fundatoris, ubi, & Catalogum Superio-

riorum generalium, qui prefuerant illorum Congregationibus, uti Sanctorum Antiſtitum, qui ex iis prodieruut, filiorum Regum, & Principum, qui earundem Congregationum inſtituta profeſſi ſunt, authorum, qui in illis ſcripſerunt, cum Indice operum quę ediderunt.

Secundus liber continet Pontifices, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Scriptores Ordinis D. Benedicti, cum illorum Elogiis. Alphabetico Diœceſium ordine, in quo ſub littera D. ſic habet de S. Malachia Epiſcopo Dunenſi, Sanctus Malachias Hibernus, inquit, Monachus Bencorenſis, & Archiepiſcopus Ardmacanus, cum aliquot annis illi ſedi prefuiſſet humilitatis cauſa Archiepiſcopatu ſe abdicavit anno circitèr, Domini 1137. & Dunenſi Sede cōtentus, in ea ad finem uſque permanſit vitæ, & obiit anno 1148. die 2. Nouembris S. Bernardus in ejus vita, ad eum extant Epiſtolæ S. Bernardi tres videlicet 315. 316. 317. Scripſiſſe fertur, & ipſe, nonnulla opuſcula, de quibus nihil hactenùs vidi præter quandam

dam prophetiam de Summis Pontificibus, quæ quia bievis eſt, & nondum quod Sciam, excuſa, & à multis deſiderata; hic à me appoſita eſt,ſic conciliat animos lectorum, ad fidem præſtandam his prophetiis, quas vt ſuperius relatæ ſunt, recenſet, jure autem merito, ait illas, nondum antea comparuiſſe impreſſas, erant etenim tunc temporis recentiſſima, & quinque annis ante conclaue quod mortem Urbani Septimi ſubſequutum eſt effictæ; & ita quidquid in his Prophetiis præceſſit Gregorium Decimumquartum, data opera, ac de induſtria excogitatum eſt, & ſane facile eſt divinare de rebus quæ jam evenerunt, unde fit, ut plures ex his Vaticiniis videantur, ſatis appoſitæ, & congruæ,illarum tamen Author miros commiſit, ex ignorantia, & Aiſtoreſia errores, quos ex falſis monumentis hauſit, cum illorum temporum hiſtoriæ, non eque accuratè vel Sedulo, ac poſtmodum fuerint diſcuſſæ.

Ac proinde dicendum eſt commentitia hæc Vaticinia excogitata fuiſſe à quodam fami-

familiari Cardinalis Simoncelli, qui in Conclavi anni 1590. erat provectior cœteris Cardinalibus, & Pronepos Iulii Tertii, quique interfuit electionibus ſeptem Pontificum, nempè Marcelli Secundi Pauli Quarti, Pii Quarti, B. Pii Quinti, Gregorii Decimitertii, Sixti Quinti, & Urbani Septimi fuitque Urbevetanus ſivè ex Urbe Veteri, & ejuſdem Civitatis Epiſcopus; hinc in fictitiis his Prophetiis nugax iſte Vates Cardinalem ſuum iſto deſignavit Vaticinio, *ex antiquitate Urbis*, ut perſuaderet Spiritum Sanctum jis verbis jam ſuum dediſſe Suffragium Cardinali Simoncelli, Urbevetano, ſimiles nugatorum ineptiæ tempore Conclavium nonnunquam fiunt, & Subindè finguntur pro adulatorum propenſione, & proprii commodi, ſtudio, quas nunc referre omittimus: Primò itaque generatim, deinde ſpeciatim, & in particulari, ſub aſpectum, proferentur nugæ, errores, & abſurditates iſtorum Vaticiniorum.

Et primo quidem illud ſingulari obſervatione eſt dignum, quod octo Antipapæ legi-

legitimis Pontificibus inveniantur intermixti, ſi fides habenda ſit interpretationibus harum prædictionum, nempè Victor Quartus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere, ſub his verbis *extetro Carcere*, Calixtus Tertius alias Guido Cremenſis, Paſqualis Tertius Natione Hungarus, Nicolaus Quintus, Petrus de Corbario, Clemens Septimus ex familia Gebennenſi, Benedictus XIII. Petrus de Luna, Clemens Octavus, Canonicus Barcinonenſis, Fœlix Quintus, Amadeus à Sabaudia, ſi hæ prædictiones forent veræ dicendum eſſet Antipapas iſtos fuiſſe legitimos Pontifices, & Eccleſiam, uno eodemque tempore habuiſſe duo capita, quandoquidem, tam hi, quam illi fuiſſent æqualitèr deſignati ab homine per Spiritum Sanctum afflato, & teſtimonium ejuſmodi Viri tanta authoritate præditi, maximi eſſet ponderis in gratiam iſtorum Pſeudo Pontificum, eo magis quod duo tantum declarentur Schiſmatici, nempè Nicolaus Quintus illis verbis deſignatus *Coruus Schiſmaticus* Clemens Octavus iſtis

Schiſ-

Schiſma Barchinonium, velle autem dicere quod Schiſma Victoris Quarti ſufficienter exprimatur illis verbis *tetro carcere* : nulla facta mentione, neque ejus tituli, neque Cardinalatus, pari modo dici etiam poſſet de pluribus legitimis Pontificibus, qui in his prophetiis verbis magis infamibus denotantur, ſilentio prætermiſſis eorum Titulis *v. g. gens peruerſa*, *bellua inſatiabilis*, *de inferno prægnante*, *pro Vrbano Sexto*, *cum interim Antipapa illius temporis deſignetur per illa honoriſica verba Crux Apoſtolica*.

Hinc præter abſurditatem periculoſæ illationis reſpectu legitimorum Pontificum obſervandi Veniunt in hoc authore evidentes Anachroniſmi, cum Victor Quartus, Calixtus Tertius, Paſchalis Tertius recenſeantur ante Alexandrum Tertium, qui tamen electus fuit eodem die, quo Victor Quartus cui nouem ſolummodo Cardinales Suffragati ſunt, Alexandro autem quatuordecim, quibus acceſſerunt alii ad numerum viginti trium, Victori adhærentibus quinque dumtaxat:

Ale-

Alexander Pontificiis veſtibus fuit indutus, quas Victor ab Alexandro violenter abreptas induit: Paſchalis fuit factus Antipapa poſt quinque annos à nonnullis Cardinalibus Lucæ in Tuſcia Congregatis, Calixtus Tertius, non niſi poſt obitum Paſchalis fuit pro Pontifice ab Imperatore, & ſua factione agnitus vixitque. Antipapa quinque circitèr annis, & en tibi temporis ordinem in fictitiis his Vaticiniis inverſum, quia illorum Author, ea commentus eſt ex vitis Pontificum Pannuini, qui in ſupputatione temporum à vero aberrauit, ut Ciacconii continuator obſervat; *Onuphrius Pannuinus inquit in libro de Romanis Pontificibus, & in Epitome contra fere omnes Scriptores, qui Eccleſiaſticas hiſtorias edidere, Victori Quarto Pſeudo Pontifici Guidonem Cremenſem, qui Calixtus Tertius, Calixto vero Ioannem Hungarum, qui Paſchalis item Tertius dictus eſt, nullo laudato authore ſuffectos fuiſſe ſcribit. Nos vero, cum Ciaconio, Baronio aliiſque fere omnibus mortuo Guidone Cremens i Pſeudo Pōtifice, qui Paſchalis Tertii*

tii nomen tulerat, illico à Sſchiſmaticis, Imperatoris tunc præſentis juſſu Romæ in ejus locum renunciatum eſſe Pſeudo Pontificem, Caliſtum antea dictum, Ioannem Vngarum.

Neque verò Author iſte in prædictis ſolum anacroniſmo laborat, ſed etiam in aliis, nam Clemens Septimus, Benedictus Decimuſtertius, Clemens Octavus Pſeudo Pontifices recenſentur, ante Urbanum Sextum legitimum Pontificem; intereà tamen certum eſt eundem Urbanum Romæ Dominica Reſurrectionis anni 1378. fuiſſe coronatum, & Robertum Gebennenſem, non niſi die prima Novembris ejuſdem anni fundis inſignia Pontificia ſuſcepiſſe à Cardinalibus Gallis, ac aliis tribus Italis qui Urbani aſperitatem pertesi, illum fuiſſe intruſum declararunt Urbanus in Pontificatu vixit annos Duodecim menſes ſex, dies ſeptem, & mortuus anno 1389. Robertus Gebennenſis è contra in ſuo Sciſmate vitam duxit quindecim annis, Menſibus Vndecim ac viginti octo diebus. Quare non debet, numerari ante

Urbanum neque ratione electionis , utpotè poſterioris , neque ratione ſui obitus , cum ſuperuixerit Urbano ſex propemodum annis. Petrus de Luna nuncupatus, Benedictus Decimus tertius, & qui ei in ſciſmate ſucceſſit , Clemens Octavus non ſolum, non debent collocari , ante Urbanum Sextum , ſed ne quidem ante Bonifacium Nonum , & Innocentium Septimum , cum Bonifacius fuerit electus, & coronatus anno 1389. Innocentius autem anno 1404. Benedictus verò de Luna anno dumtaxat 1394. Clemens Octavus in ejus ſchiſmate ſucceſſor anno 1424. Coronatus anno 1425. & ità non ſolum Urbanus Sextus deberet recenſeri , ante Clementem Octavum , Pſeudo Pontificem , ſed etiam Gregorius Duodecimus , Alexander Quintus , Joannes vigeſimus tertius , Martinus Quintus deberent ſimiliter , ante illum collocari , adeò ut ſequaces harum Prophetiarum difficulter poſſint ſaluare Anacroniſmos , tam notabiles in ordine , & ſerie iſtorum commentorum .

Quæ-

Quærendum utique eſſet quis revelavit hujuſmodi Prophetias, debuiſſe incipere à Cæleſtino Secundo, potius quam, ab Innocentio Secundo illius prædeceſſore, vel à Lucio Secundo ejus ſucceſſore, aut etiam ab Eugenio Tertio diſcipulo Diui Bernardi, nam S. Malachias, vixit ſub omnibus his Pontifiicibus, neque veſtigium apparet, in prætenſis his revelationibus de tempore, quo deberent incipere.

Dicent forte aliqui has Prophetias ex ſeipſis apparere ſatis juſtas, veridicas, & ex terminis quibus conceptæ ſunt facile videri quando, & unde forent incipiendæ, clarum eſſe, has voces ex Caſtro Tyberis, nulli alteri competere, quam Cæleſtino Secundo, qui fuit Typhernas locus Tyberi imminens per illa alia verba *inimicus expulſus* congruè deſignari, Lucium Secundum, qui fuit ex familia Caccianemici, quæ vox importat inimicum expulſum; his aliis vocibus *ex magnitudine montis* denotari Eugeinum Tertium, ortum ex oppidulo monte magno nuncupato: en Ba-

ſis ſuperquam fundatur coniectura figendi, ſeu deſignandi tempus iſtarum prædictionum, ſed anita ſe res habeat poſtmodum videbitur, interim progrediamur; ad harum Propheticarum vocum expoſitionem: cujus Authorem Arnoldus Wyon facit Ciaconium his verbis, *quæ ad Pontifices adiecta, non ſunt ipſius Malachiæ: ſed R. P. Alphonſi Ciaconij Ordinis Prædicatorum hujus Prophetiæ interpretis*; nunc verò ſi juxta hunc authorem hujuſmodi Prophetiæ ſint Sancti Malachiæ, & expoſitæ, per Ciaconum, opportet ut quadringentis annis ſine ulla interpretatione in tenebris oblivionis jacuerint ſepultæ, & incognitæ. Quis igitur poſt tam diuturnum tempus revelavit P. Ciaconio, & Arnoldo Wyon, quod fuerint editæ à S.Malachia. Ubinam illæ fuerunt repertæ? Undenam rogo poſt quadringētos annos fuerunt deſumptæ, vel excerptæ, dicant, quęſo pręfati Authores ubinam gentium tantum theſaurum, tam fæliciter inuenerunt?

Iterum rogo unde Arnoldus Wyon didicit quod Ciaconius fuerit interpres iſtarum

rum prædictionum,tres enim extant edtiones vitarum Pontificum, & Cardinalium ejuſdem Authoris, prima anni 1601. altera anni 1630. tertia denique anni 1677. Prima, & Secunda comprehenduntur duobus tomis. tertia quatuor tomis in quibus, nec verbum habetur de iſtis Vaticiniis, quod, ſi ejuſmodi interpretatio verè edita fuerit à P. Ciaconio Romæ anno 1591. commorante quando lignum vitæ Arnoldi Wyon fuit Venetiis impreſſum dicendum quod præfatus Ciaconius olfecerit falſitatem iſtorum Vaticinorum atque adeò noluerit illa ſuo operi typis evulgato inſerere. Nam Nicolaus Antonius, qui edidit Bibliothecam Scriptorum Hiſpanicorum; & P. Ambroſius ab Altamura, qui compoſuit Catalogum Authorum Ordinis S. Dominici, ex quo fuit Ciaconius, accuratè recenſent, omnia opera prædicti P. Ciaconi, imò, & foliorum,ac tractatuum quorundam, nondum editorum, ejuſdem, nec tamen, vel unicum faciunt verbum de ejuſmodi prophetiis, vel earum interpretatione.

His addendum quod contra id quod Dei Filius tam expreſſe dixit finem Mundi, & tempus univerſalis judicij eſſe hominibus ignotum, haberemus, nihilominus certum indicium ſive teſtimonium, ac evidens ſignum de præfato fine, & tempore in commentitiis his vaticiniis, & poſſemus hodie conſtanter, & certo aſſerere non niſi viginti quinque, vel ſex uſque ad mundi finem futuros eſſe Pontifices, ordiendo ab eo Pontifice cui attribuntur iſta verba *Pœnitentia gloriorioſa*, quandoquidem interpres, ſive prætenſus ille vates in opere Arnoldi de Wyon, ſic habeat *in perſecutione extrema* S. R. E. ſedebit Petrus Romanus *qui paſcet oves in multis tribulationibus, quibus tranſactis Civitas Septicollis diruetur, & Judex tremendus judicabit Populum ſuum; hac de cauſa à recenti iſto Authore fuit publicatum quod vaticinia, S: Malachiæ quo ad ſuceſſiones Pontificum procedant, uſque ad aduentum Antichriſti, ſed propius ad illorum aſcedamus examen.*

Commentitiæ iſtæ prædictiones, ex ſep-

ſeptem vel octo diverſis fontibus videntur deprompt æ nimirùm, vel ex nominibus Pontificum deſignatorum, vel ex natali ſolo, & ſtirpe, vel ex familiæ conditione, vel ex munere, quo fungebantur, Titulis Cardinalatus, vel ex eorum inſignibus, vel ex duobus, vel tribus hujuſmodi capitibus, ſimul junctis.

Ex natali ſolo deſignantur ſequentes Cęleſtinus Secundus *ex Caſtro Tyberis*, Eugenius Tertius, *ex magnitudine Montis*, Adrianus Quartus *ex rure Albo*, Nicolaus Quartus *Picus inter eſcas*, Gregorius Decimus quartus *ex antiquitate Vrbis*, Innocentius Nonus *pia Civitas in bello*.

Ex qualitate Stirpis vel familiæ, deſignatur Joannes XXII. filius ſutoris, *de ſutore oſſeo*. Sixtus IV; filius Piſcatoris, *Piſcator minorita*, Innocentius III; *comes Signatus*.

Ex nominibus denotantur, Lucius Secundus, *inimicus expulſus Caccianimica*. Clemens Tertus, *de Scolaexiet*, *de Domo Scolari*. Cœleſtinus Tertius, *de rure Bovenſi*, *ſeu familiæ Bouenſi*. Pius Tertius Piccolomineus, *de paruo homine*. Adria-

nus Quintus Ottoboni, *Bonus Comes*, ex comitibus Lavaniæ.

Ex Titulo Cardinalatus ſignificantur iſti Victor Quartus Antipapa Titulo S. Nicolai in Carcere, *ex tetro Carcere*, Calixtus Tertius Cardinalis S. Mariæ in Traſtyberi, via Tranſtyberina Innocentius VI. Card. SS. Jo: & Pauli Tituli Pamachij, *de montibus Pamachij*, Martinus Quintus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, ex inſignibus notantur iſti. Alexander Tertius, Urbanus Tertius, Clemens Quartus, Gregorius Decimus, Nicolaus Tertius, Honorius Quintus: Bonifacius Octavus, Clemens Quintus, Clemens Sextus, Innocentius Sextus, Clemens Septimus, Bonifacius Nonus, Innocentius Septimus. Alexander Quintus, Felix Quintus, Calixtus Tertius, Alexander Sextus. Julius Secundus, Paulus Tertius, Julius Tertius, Marcellus Secundus Gregorius Decimus tertius, Sixtus Quintus, Clemens Octavus &c. In ſequenti paragrapho oſtendentur abſurditates, quas videre licet in commentiis his Vaticiniis.

§. Ter

§. Tertius.

Vlterior Diſcuſſio Succeſſionis Summorum Pontificum ex prædictionibus S. Malachiæ, attributis.

QVamuis ex dictis ſufficienter appareat quam ſint à vero aliena fictitia iſta Vaticinia, prædicto Sancto affiCta ob contradictiones, Anachroniſmos abſurditates, quibus ſcatent, illa tamen pro eorum Ordine, ſeriò, accuratè, & adamuſſim ulterius proſequi, & diſcutere animus eſt, vt palam conſtet, quot, & quantas ineptias in his ſuis figmentis, ex induſtria inuentis Author commiſerit.

Prima igitur Prophetia ſic enunciat, *ex Caſtro Tyberis* pro Cæleſtino Secundo, qui nominabatur, ut fertur Guido de Caſtello ſiveTipherno vulgò Città diCaſtello, inquo tamen non omnes Authores conueniunt, nam Ciaconius. *Sic habet, Cæleſtinus Papa Secundus natione Tuſcus,* *de*

de Caſtro Sanctæ Felicitatis, prope Typhernum, Magiſter Guido de Caſtello antea vonatus, fuit ante ſcriptor Apoſtolicus, per Calixtum Secundum ad munus illud aſſumptus & Cardinalis Diaconus Tituli Sanctæ Mariæ in via lata, poſt Presbyter Cardinalis Tituli S. Marci, ſolus pene in Pace creatus Pontifex, & quod omnia vota in illum conſpiraverint poſtridie obitus Innocentij Secundi, ut illi ſcripſit, Petrus venerabilis Abbas Cluniacenſis poſt ejus ad Summum Pontificatum aſſumptionem. Quis hoc inquit non miretur à tempore Alexandri Secundi Papæ, per Gregorium, Urbanum, Paſchalem, Gelaſium, Caliſtum; Honorium, Innocentium SS. Eccleſiæ Dei ac preclaros Pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, Eccleſiaſticam Pacem pertranſiſſe, ſed in nullo eorum præter vos quieviſſe, plauſibilius certe his verbis deſignaretur Cæleſtinus quam iſtis aliis *ex Caſtro Tyberis*, eo magis quod non ſoli Cardinali Guidoni ejuſmodi oraculum, ſed aliis non paucis Cardinâlibus Romæ, vel ad ripas Tyberis natis competere potuerit: Cæterum

adeò

adèo ignotum fuit Authoribus quis, qualis, vel cujus familiæ fuerit pædictus Pontifex ut Cicarelli, & Dominus de Cheſne pro inſignibus ei adſcribant, Quadrum vitreum dumtaxat. Editio ſecunda Ciaconij, & bullarium illi aſſignat lilia, poſtrema Ciaconij editio duobus illis liliis adiungit tertium; Cum hac additione Patris Oldoini Jeſuitæ, *Quod Victorellus in imprimendis vitis Pontificum, & Cardinalium accinctus didecerit in Caſtello Sanctæ Felicitatis inventum fuiſſe ſcutum inſignitum tribus liliis cum impoſita deſuper tiara, & habitatores illius Domus nuncupatos fuiſſe de Papa in gentilitio inquit Oldoinus Cæleſtini Secundi ſtemate, quod & alias excudit; Ciaconius duo tantum lilia extabant, ſed tribus illud conſtare Franciſcus Cabrera, Primum Richardi Cluniacenſis non contemnendi illius ævi Scriptoris, Bernardini Guidonis Dominicani è Bibliotheca Vaticana Ptolomei Lucenſis, Papyrij Maſſoni, aliorumque teſtimoniis probat, ſecundo qui eo ſcribente in vetuſtis S. Fælicitatis ſive Sanctæ Fiſtæ Caſtri ædibus à Papa nomen habentibus*

bus tria complectens lilia Ponteficia Thiara decoratum conſpiciebatur, & qui eas incolebant ædes de Papa nuncupabantur: Hæc ille, ſed iſta videntur gratis, & pro libitu. Qundoquidem illis temporibus latuerit, quæ vel qualia eſſent inſignia Pontificum multominus in more fuit ea decorare Thiara uſque ad tempora Bonifacij Octavi pluſquam centum annis poſt Cæleſtinum Secundum.

Secundum Commentum eſt *Inimicus expulſus* pro Lucio Secundo, quia ſcilicet fuit ex familia Italice nuncupata *Caccianimici* inqujunt hi interpretes ſed Vaticana regeſta aſſerunt contrarium, & Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus, illa citans ait illum fuiſſe; ex Patre nominato Viſeo, cum vacaſſet, inquit, Baronins ſedes die una ſuffectus eſt Gerardus Camerarius Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ Crucis in Hieruſalem, ex Ordine Canonicorum Regularium, cujus Primordia hæc deſcribuntur in codice Vaticano, hic fuit ex prouincia Æmiliæ Bononienſis, *ex Patre viſeo*, haud dubie quin id fuerit ejuſdem

Pa-

Patris cognomen, alij enim omnes eundem vocant Albertum, nonnulli Albertum de Vrſo, quam ob cauſam attribuitur ipſi Vrſus pro inſignibus. Ciaconius, qui in hiſtoria Cardinalium ſtatuit illum fuiſſe, ex familia Caccianimici, ita dicit Gerardus Caccianemicus Bononienſis Alberti ab Vrſo filius.

Tertium *ex magnitudine montis* pro Eugenio tertio, æque incertum eſt an quadret, nam major pars Authorum ei pro natali ſolo Civitatem Piſanam aſſignant, & juxta ordinariam conſuetudinem Italorum, duæ familiæ præfatum Pontificem ſibi adſciſcunt, nempe familia Paganelli Piſana, & familia de Bernardis Placentina, aliqui affirmant eum fuiſſe nobilem alij cujuſdam plebei filium, quod fuit in cauſa, cur non nulli Vaticinium illud ſic mutarent *ex magnitudine mentis*, *loco montis*. Quo tamen Eugenius non magis deſignaretur, quam plures alij non inferioris ipſo ingenij, vel judicij, vel Animi.

Quartum *eſt Abbas Suburranus* pro Anaſtaſio Quarto nato ut fertur in quadam

regio-

regione Vrbis Romæ dicta Suburra,& præterea Abbate. S. Ruffi, ſed Rogo quęnam connectio intercedit, inter unam regionem Romanam, & quandam Abbatiam in Gallia exiſtentem quis vidit unquam Prophetias tam male conceptas.

Quintum *de rure albo* ponitur pro Adriano Quarto, eo quod fuerit Anglus, & Anglia olim diceretur *Albion*, alii ſic exponunt, quod fuerit ex oppido. *S. Albano* alij quod Epiſcopus Albanenſis.

Sextum *ex tetro Carcere*, pro Victore Quarto Antipapa, ſed prædictio iam ſupra fuit confutata, & neſcitur unde infertur per ipſa inſignia Leonem, & Vulpem prædici, vel prævideri, ejus ſævitiam, & aſtutiam, quando quidem Ciaconius, Vghellus, aliique eum nominent, Octavianum â Monticello, & pro ſtemmate, ei aſſignent, montem ornatum ſex turribus.

Septimum *via Tranſtyberina* pro Calixto Tertio, & non Paſchali Tertio ut recens quidam Author aſſeruit, addens eum fuiſſe Antipapam, unde non dicitur Cardina-

dinalis Sanctæ Mariæ, ſed tantum via Transtyberina, at unde ſciretur, quis fuerit, & qualis foret, nec tamen ex iſtis verbis apparet quod fuerit Antipapa, cum plures, quam decem legitimi Pontifices deſignentur ſimilibus verbis, ex Cardinalatuū ſuorum Titulis nulla facta mentione Eccleſiæ, vel tituli, *ut lux in oſtio* pro Cardinali *Oſtienſienſis Laurentii* pro Cadinali Sancti Laurentii in Lucina *Hieruſalem Campaniæ*, pro Urbano Quarto Patriarcha Hieroſolymorum *de montibus Pamachÿ*, pro Clemente Sexto, *Cervus ſirenæ*, pro Cardinali Sancti Euſtachii, *Corona veli aurei*; pro Martino Quinto Cardinali Sancti Georgij *ad velum aureum*.

Octavum eſt impertinens pro Calixto Tertio *ex Panonia Tuſciæ* ad denotandum quod fuerit Hungarus natione, & Epiſcopus Tuſculanus, vel creatus Antipapa à duobus Cardinalibus Lucæ in Tuſcia.

Nonum *ex Anſere Cuſtode*, pro Alexandro Tertio, quem intrepres ait fuiſſe de familia Paparona, cujus inſignia erant *Anſer*, conſtat tamen Alexandrum prædictum

fuiſſe

fuiſſe ex familia Bandinella Senenſi, cujus ſtemma non erat Anſer, ſed *Parmula aurea* extat adhuc Senis ſupra unam portam ad latus dextrum Chori Eccleſiæ Cathedralis, hæc inſcriptio *Alexander Tertius ex Bandinella familia Reipublicæ Chriſtianæ libertate reſtituta Italiaque pacata, hanc Eccleſiam Deo ſub nomine Beatæ Mariæ Virginis conſecrauit*; *Alexander Septimus etiam Senenſis in Eccleſia Lateranenſi Mauſoleum illi erexit, cum hac inſcriptione*; *Alexandro Tertio Pontifici Maximo nobili Bandinella gente Senenſi nato &c.*

Qui verò ajunt hanc familiam Bandinellam fuiſſe poſtmodum nuncupatam Paparonam, non ſaluant veritatem prædictionis, vel hujuſmodi commenti certum namque eſt ex quodam monumento Romæ in Eccleſia Sancti Pantaleonis erecto anno 1201. quod primus hujus familiæ de Paparona fuerit Scotus quidam Paparona, cujus filius nuncupabatur Joannes Ambo conſpiciuntur in medio Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Majoris opere muſivo, ſive teſſelato, cum ſuis inſignibus, ſive ulla mentione

tione familiæ Bandinellæ, vel Alexandri Tertij, verum quidem eſt, quod Sanctus Bernardus prædixerit illi Pontificatum, & illę res inſignes quæ durante ejus Papatu contigerant, aliud exigebant Vaticinium *præter anſerem Cuſtodem*.

Sus in Cribro pro Urbano Tertio, eſt æq ue ridiculum ac anſer: ejus Tumulus Ferrariæ extans non habet niſi Cribrum ſine ſue nec ipſe, eſt adeo Vetuſtus, familia Crivelli Mediolanenſis hunc Pontificem honoris gratia adoptavit, à non nullis authoribus vocatur *Lambertus Cribellus*; Vghellus prætendit eum confundi, cum Vberto Allucingoli, cui tamen ſtemma prædictum non *conuent:enſis Laurentij*; pro Gregorio Septimo antea Cardinali Sancti Laurentij in Lucina eſt æque extravagans, & tam male fundatum, quam alia pręcedentia Vaticinia: ultima editio Ciaconii non ſolum pro ſtemate tribuit ipſi duos enſes cum ſtellis: ſed etiam duos Leones mutuo ſe aſpicientes, & cor ſuſtentantes, & familiæ cognomen eſtadeo incertum, ut quando agitur de ipſo ut Cardinali vo-

catur Albertus Sartorij de mora ſive moura , alias ex murio ciparaſpàdione, Patritij Beneventani filius .

De ſcola exjet pro Clemente Tertio de Domo scolari . *de rure Bovenſi* pro Celeſtino. Tertio *de familia Bovenſi* inquit interpres , in quo tamen fallitur ; nam editio tertia Ciaconij de illo ita habet , *fuit ex familia Vrſinorum , ejus Pater nuncupabatur Petrus Bubo , de Vrſinis , antiqua monumenta, inquit illa editio Urſinæ familiæ, quæ in Archivio Brachianenſi aſſeruantur , Hyacintum hunc Petri Bubonis de Vrſinis filium fuiſſe oſtendunt , idem Vaticanæ Baſilicæ monumenta teſte Vghellio affirmant , unde Ciaconi error corrigendus , qui Hiacinthum ex familia Bubona à Patris proprio nomine deduxit* ; hiſti : Pont. Rom. tom. 1. anno 1144. ſub Cæleſtino Secundo in Hyacintho Cardinali pag. 1018. edit. 167.

Cæleſtinus Quartus *Leo Sabinus* Mediolanenſis nomine Gaufredus vel Gofredus ex familia de Caſtellonea in gentilitio ſtemate , ut prętendit interpres , habet Leonem eratque Cardinalis Tit. Sanctæ Sabi-

Sabinæ; nulla tamen habuiſſe inſignia, aſſerit author quem hic ſequor, etenim Epitaphium in quo dicitur fuiſſe ex familia Caſtillonea, eſt ad minus ducentis annis, illius obitu poſterius, nec unquam fuit exculptum, vel inciſum in Vaticano.

Innocentius Quartus *Comes Laurentius* hujus Vaticinii ridicula eſt interpretatio, dum dicitur fuiſſe ex familia Comitum Fliſcorum, & Cardinalis Tit. S.Laurentii in Lucina, nam ſi ad exprimendas has duas qualitates, datur ipſi hoc agnomen Comitis, ſanè ex omnibus aliis Cardinalium Titulis, poterunt creari Marchionatus, Ducatus, Baroniæ, in regeſtis Reipublicæ Ianuenſis dicitur frater unius ex octo diſcretis, qui gubernabant rempublicam, ejus frater nuncupabatur Theodoſius, & Cardinalis nominabatur Sinibaldus, ubi, nec unus, nec alter dicitur fuiſſe Comes, licet ambo referantur fuiſſe ex antiquiſſima, & nobiliſſima familia, *Clariſſima fuit, & eſt in Italia antiquiſſima,* inquit Regeſtum præfatum, *in præſenti namque Civitate authoritatem habere cæpit*

anno 1249. *&* *primus omnium fuit Theodoſius Fliſcus frater Innocentii Quarti Pontificis Maximi, qui fuit unus ex octo nobilibus, aut ex octo diſcretis*. Addo ego ad authorem meum, Innocentium Quartum fuiſſe creatum Pontificem anno 1242. ſeptem nimirum annis, antequam familia Fliſca authoritatem habuerit Ianuæ.

Alexander Quartus *Signum Oſtienſe*, eo quod fuerit ex Comitibus Signię, & Cardinalis Oſtienſis, ęque claudicat iſta prędictio, ac præcedens.

Hieruſalem Campaniæ pro Vrbano Quarto, quia ſcilicet fuit ex Campania, & Patriarcha Ieroſolymitanus, quid rogo de inſpiratione ſuperna habet iſta expreſſio.

Draco depreſſus pro Clemente Quarto, cujus primum Stemma erat Aquila ſuis unguibus premens & ſuppeditans Draconem, ſed errant, qui putant talę fuiſſe ejus ſtemma, & evidenter in eo fallitur commentitia iſta prophetia, quia Clemens præfatus ejuſmodi non habuit inſignia, exſtat Viterbii in Eccleſia fratrum Prædicatorum ejus Mauſolæum, cui inci-

ſa

ſa ſunt lilia, ſimili modo diſpoſita, quo exprimuntur lilia familiæ Farneſiæ, Draco ille depreſſus ſub Aquila erat inſigne Guelforum: quidquid dicitur de mutatione ſtematis prædicti Pontificis, & aliis nonnullis rebus in ejus vita relatis in favorem cujuſdam familiæ affirmantis ſe ex illius parentibus ortam eſſe commentitium eſt.

Anguinus Vir, pro Gregorio Decimo, eo quod inquit interpres fuerit Mediolanenſis ex familia Vicecomitum, cujus inſignia anguis, figmentum eſt, non enim fuit ex illa familia, ſed ex ſtirpe *de Vice Dominis* Placentinis; Merula qui edidit genealogiam familię Vicecomitum, in illa non recenſet Gregorium Decimum, qui favit genti Turrianæ Vicecomitum ſtirpi, multum contrariæ, deinde poſtrema Ciaconii editio alia ipſi tribuit inſignia.

Concionator Gallus, pro Innocentio Quinto, ut pote qui fuit in Gallia natus, & Ordinis Prædicatorum, non tamen fuit Gallus, ſed Sabaudus Tarantaſiæ ortus,

hinc nonnulli dixere fuiſſe Lombardum, vel ex Pedemontibus Ducis Sabaudiæ Dominio, alii Burgundum eum dicunt.

Bonus Comes pro Adriano Quinto, fallit qnoad titulum Comitis cum fuerit filius Theodoſii Fliſci, Innocentii Quarti fratris, diſcreti, ſive Senatoris Januenſis dignitate tantummodo inſigniti, ut ſupra viſum eſt.

Piſcator Tuſcus pro Joanne Vigeſimoprimo, ſimiliter, eſt nugatorium, & falſum, nec enim fuit Piſcator, neque Tuſcus, nam ut habet tertia editio Ciaconii, fuit Natione Hiſpanus, Provinciâ Luſitanus, Patria Ulyſipponenſis, profeſſione olim medicus, quid ergo Hiſpaniæ, vel Luſitanię, cum Tuſcia, vel Tuſculo, quid Medicinę, cum arte piſcatoria, commentitium hoc Vaticinium, eſt planè extortum, & Claudum.

Roſa compoſita tribuitur Nicolao Tertio ex familia Urſina, quæ in ſtemate geſtabat roſam, ejus tamen inſigne; olim fuit Urſus, nec legitur Nicolaus ulla geſtaſſe inſignia.

Prædictio attributa Martino Quarto, nempe ex *Telonio Liliacei Martini*, non recte quadrat pro deſignando Theſaurario ſeù quęſtore Sancti Martini Turonenſis tęloneum enim proprie ſignificat officinam portoriorum ſeu gabellarum, & aliorum vectigalium, non verò ærarium Eccleſiæ, ſed rogo quid ſibi vult dicere *Liliaceus Martinus* ad denotandum S. Martinum Turonenſem? quando Martinus Quartus fuit electus Pontifex, erat Cardinalis Tit. Sanctæ Cecilię, & non Theſaurarius, vel quæſtor S. Martini Turonenſis.

Ex Roſa Leonina pro Honorio Quarto Sabello, cujus teſſera erat Roſa geſtata a duobus Leonibus, quæ tamen ipſa non fuit olim ſtemma gentis Sabellę, ſed leunculi duo puniccei, roſam concolorem avicula inſeſſam veluti aripientes inCoronide ſcutaria, argento illuſa cum ſubiecta inſtita, ſeu faſcia coloris praſini, aquatili colubro ceruleo impreſſa, & cum imo ſcuti ſemiſſe lemniſcato balteis ternis aureis, totidemque puniceis: leunculos, &

Italicè diceretur *Gelſo*, vel *Celſo*, non bene latine verteretur, *Celſus* pro *Celſo arbore* cum nulla ſpecies arboris inveniatur, quę latine dicatur *Celſus*, qualis ergo verſio vocis ut *arbor* Italicè dicta *Celſo* Latino Idiomate exprimatur, *Celſus* cum potius deberet verti *morus* rurſus apparet nugatio ut *morrone*, & *more* voces Italicæ idem importent nam per *morrone*, vel *morroni*, Itali intelligunt ſpeciem quandam Caſtaneę, & per alium fructum vocatum Italice *morrone* intelligitur glans Sardinia vulgo dicta, ſanè iſta omnia confundit hoc loco vates iſte uſque adeout neſciatur quid velit per vocem *Celſus*, an arborem, an adiectiuum ſynonimum, cum vocabulo *altus*, & quid hoc cum *moro* arbore, cum *murrone*, *morrone*, vel *marrone* vel *moro* fructibus, ſic facit lucem tenebras, & tenebras lucem, Cęleſtinus igitur V. ut habet ultima editio Ciaconii ante Pontificatum Petrus de *Murone* Marſari Oppido appellabatur Eſernie in Samnitibus Patre Angelerio, matre Maria hominibus piis e plebe ortus, inſtituto à ſe

cęle-

Celeſtinorum Ordine, ſolitariæ vitæ deſiderio accenſus, vaſtam Eremum Majellæ in pelignis, quæ nunc Appulia dicitur adiit, ibique aſperrimum vitæ genus duxit: Sanctus Malachias, quem facit vates Authorem iſtius prædictionis, ignoravit Linguam Italicam, ut melius ſpecificaret, aut diſtingueret loca, & nomina ſupradicta: *ex Vndarum Benedictione* pro Bonifacio Octavo, nuncupato Benedicto Cajetano cujus inſignia erant Baltei dexteri, & jugarij, ſeu ge melli, cyaneique in valvulo aurei mettalli: quid hęc teſſera cum undis.

Simili artificio à longe deducitur, hoc aliud effatum *Concionator Paterenus* ſive *patereus* pro Benedicto XI. antea Nicolao vocato, Ordininis Prædicatorum, deſignato per vocem illam *Patereus* eo quod gereret nomen S. Nicolai pateræ nati.

De feſſis Aquitanicis, pro Clemente Quinto Balteos pro teſſera habente, & in Aquitania nato, hic ſane aperte errat ſcenicus hicvates, & interpres, & ignorantiam Linguæ Latinæ oſtendit uterque genti-

gentilitię enim teſſeræ, prædicti Pontificis Latine dicendæ ſunt baltei, vel faſciæ, prouti depicti apparent, non *feſſæ*, cum ejuſmodi vox v. g. *feſſa feſſæ* ſubſtantive ſumpta in toto latino idiomate non inueniatur, ſed Vaticinij artifex erat Italus, & faſciæ dicuntur Italice *feſſe*, ſed improprie cum potiùs dicatur *faſcia* vel *benda*.

De Sutore oſſeo, pro Joanne Vigeſimo ſecundo, in quo prætenſo Vaticinio, continentur duæ falſitates, æque impertinentes, nam ex regeſtis Civitatis Cadurcenſis adhuc extantibus ejus Pater nominabatur Arnoldus Dueſſe, vel Dueſa, & non oſſea, & honeſtus ciuis tertio loco in regeſto Vectigalium deſcriptus, ubi nulla eſt mentio quod fuerit Sutor, ſicut alij ejuſmodi artifices notantur.

Coruus Sciſmaticus, pro Nicolao Quinto, ſive Petro Corbario Antipapa, iſta, inquam, verba clare oſtendunt quam falſa ſint Vaticinia, in quibus ſi forent vera, pſeudo Pontifices nullum habere deberent locum, niſi dicatur per ſummam abſurditatem duo capita, ſimul, & ſemel pręfuiſſe Eccleſiæ.

Per

Per iſta verba frigidus Abbas prætenditur deſignari Benedictus Duodecimus . quod fuerit olim Abbas fontis frigidi fuit Cardinalis Tit. Sanctæ Priſcæ Epiſcopus Apamiarum primo, deinde Mirapicenſis , Vulgo Cardinalis Albus nuncupatus ab habitu albo Ciſtercenſis Ordinis quem olim profeſſus erat ; uno certè , vel altero ex his Titulis rectius denotaretur .

Hoc aliud effatum *de Roſa attrebatenſi* pro Clemente Sexto , minime rectius concludit , in ſua teſſera, habuit non unam ſolum , ſed ſex Roſas patria Lemovicenſis , non Attrebatenſis , illius quidem ſedis Epiſcopus uno tantum anno quod anfuerit nec ne , inter Authores non conuenit , fuit tamen Archiepiſcopus Rothomagenſis , ibique Collegium fundavit , qui Titulus celebrior erat quam Attrebatenſis .

Idem Error deprehenditur etiam in iſto, *de montibus Pammachij* pro Innocentio Sexto, qui in ſuis inſignibus, geſtabat montes , qua in in re Pannuinus , & ejus ſequaces , errant , fundavit Cartuſiam Villæ novæ , prope Avenionem , ubi illius teſſera

ra ſupra portam, & in aliis locis conſpicitur, eſt Leo cum ſuperiecto vecte, & tribus conchis ei imminentibus, ſed vates noſter aſſumpſit divinanda inſignia Nepotis Petri de monte Ruco alterius cartuſię præfatæ fundatoris pro inſignibus patrui, qui nominabatur Albertus, ex uno prædictorum fratrum deſcendunt familiæ illæ Albertorum Gallice *da Luynes*, & chaulnes nuncupatæ, quæ in ſuis ſymbolis ſive teſſeris, non retinuerunt niſi Leonem dumtaxat, cæterum Innocentius non amplius fuit Cardinalis SS. Joannis, & Pauli Tit. Pammachij ſed Epiſcopus Oſtienſis, & major pœnitentiarius quando fuit aſſumptus ad Pontificatum.

Gallus Vicecomes, pro Urbano Quinto longe à propoſito divagatur, nullivs loci extitit Vicecomes, & quamuis Apoſtolici nuncij legatione ad Viceco nites Mediolanenſes functus fuerit, no inde dicendus eſt Gallus Vicecomes, fuit autem Religioſus Ordinis Sancti Benedicti Altisiodorenſis primum, deinde Maſſilienſis Abbas.

No-

Novus de Virgine forti, pro Gregorio Vndecimo æque ac præcedens eſſatum recedit à ſcopo, eo quod cognominaretur à Belloforti *Beufort* ſive Petrus Comes Bellifortis, erat Cardinalis Tit. Sanctę Mariæ Novæ nomen, illi Petrus Rogerij Monſtruis, oppido Malmonte, quam ridiculum, & Abſonum, ut novus de Virgine forti, importet idem, ac Bellifortis, & Sanctæ Mariæ Novæ Cardinalem.

Per iſta verba de *Cruce Apoſtolica* pro Clemente Septimo Antipapa author vere prodit ſuam fictionem, & errorem ut ſupradictum eſt, dum inter veros Pontifices, etiam ſciſmaticos reponit qui nullum in ea ſerie locum habere debent, præterea teſſera prædicti Pſeudo Pontificis non erat Crux, ſed quinque puncti aurei, æquipollentes in campo Ceruleo, ſive Cyaneo, erantque inſignia familiæ Gebennenſis, ſimili errore, & abſurditate laborant iſta verba *Luna conſmedina* pro Benedicto Decimotertio, Petro de Luna, Cardinali Sanctæ Mariæ in Coſmedin Antipapa, ubi tam ipſe, quam

quam alter Pſeudo Pontifex Clemens Octavus, deſignatus iſtis verbis *ſciſma Barcinonum*, monſtroſe, iterum miſcentur veris, & legitimis Pontificibus.

Sic etiam a recto intellectu exorbitat iſtud effatum *de inferno prægante* pro Urbano VI. eo quod cognominaretur Prignanus, & natus eſſet neapoli prope tabernam meritoriam quę *infernus dicebatur*: Urbanus quando tumultuoſe fuit electus Archiepiſcopus erat Barenſis, prætenſus hic vates longe majus præſtaret beneficium, ſi divinitus inſpiratus verum Pontificem illius temporis, ſecerneret à ſciſmatico.

Cubus de mixtione pro Bonifacio Nono gente Tomacella vel Cybo habente pro inſignibus *faſciam teſſellatam*, ubi iterum vędere licet ridiculum commentum, in quo nihil divinatur, nam quadrum teſſellatum, non eſt Cubus, qui debet eſſe exangulus.

Nec minus divaricat, & extra rem vagatur hoc aliud, quod ſequitur *nauta de ponte nigro* pro Gregorio Duodecimo Pa-

tritio Veneto S.Theologiæ doctore, Epiſcopo Caſtellano Patriarcha Conſtantinopolitano Cardinale Tit. Sancti Marci, Piceni præfecto cum his autem rogo quam affinitatem habet *nauta de Ponte nigro*.

Item an Alexander Quintus rectè deſignetur per iſta verba *flagellum ſolis*, cum ante ſuam creationem nulla habuerit inſigna utpotè ex obſcuro, & humili loco natus in inſula Crettæ uſque adeò ut puer neque parentes, neque ullos affines cognoſcens oſtiatim victum mendicaret, ordini minorum in Monaſterio Cretenſi ad ſcriptus, & educatus altæ indolis vividiſſimi ingenii adoleſcens evaſit, creatus Pontifex ſolem quidem radios mittentem, & ſtellis circumdatum pro teſſera velut imblema aſſumpſit, quia ſubſtitutus fuit Benedicto Decimotertio, ſive Petro de Luna, & Gregorio Duodecimo unde rectius diceretur *flagellum Lunæ*, quam flagellum ſolis.

Cervus ſirenæ impertinenter ſe habet, pro Ioanne Vigeſimotertio Neapolitanæ & Cardinale Tit. S. Euſtachij, quia ſcilicet

cet ſuprema eſt teſſeraUrbis Neapolitanæ, Cervus Symbolum S. Euſtachij en fontes ex quibus emanavit iſta Prophetia, quod autem ſirena non ſit teſſrra præfatæ Civitatis, ſed alia plane diverſa infravidebimus, & agentes de inſignibus Sanctiſſimi Domini Innocentis Duodecimi.

Corona veli aurei pro Martino Quinto non conuenit Titulo S. Georgij, qui dicebatur *velabrum* non autem Cœlum aureum fuit olearia, ſive locus in Vrbe juxta Aventinum Montem, in quo vela obtendebantur, in quibus oleum, & ſimilia vendebantur, vela illa non erant aurea neque deauruta.

Minus etiam Eugenio IV. covenit *Lupa Cæleſtina*, fuit enim Canonicus Regularis Sancti Georgij, non MonacusCæleſtinus, Venetus, non Civis Senenſis: Cujus Civitatis Lupa eſt Symbolum, creatus quidem fuit à ſuo avunculo Gregorio Duodecimo Epiſcopus Senenſis, ſed cum eſſet nimis jvvenis poſt unius dumtaxat regiminis ſui annum, Cives Senenſes eum abdicarunt, ab avunculo Romam evoca-

tus renunciatus fuit Cameræ Apoſtolicæ Clericus, mòx Preſbyter Cardinalis Sancti Clementis.

Ex dictis conſtat quam ſit impertinens *illud amator Crucis* pro Felice Quinto, vbi iterum inter legitimos Pontifices recenſetur Pſeudo Pontifex, male ſimiliter deſignatur per illa verba *ex modicitate Lunæ*, Nicolaus Quintus, quod fuerit ſarzanæ natus ex nobili genere, ut habet Oldoinus in additionibus ad tertiam editionem Ciaconij, *Thomas inquit, non ex ignobili familia, quæ lucana dicebatur, ut ſcripſit Panuvinus, ſed ex honeſtá parentela, in Vrbe ſartanenſi natus, Bortholomeum profeſſione Medicum, & Andreolam Calderinam in parentes habuit, nec de Patria, Nicolai olim Thomæ vocati inter omnes conuenit, ſunt enim, ait illa editio, qui ſcribant Tomam Piſis, natum, lucæ educatum, Bononiæ litteras, & bonas Artes didiciſſe: claudicat igitur effatum de modicitate lunæ ideſt Lunenſis.*

Sed quonam volat Propheta iſte quęſitum de *Capra*, & *Albergo* pro Pio Secundo,

do, qui ad ConciliabulumBaſilienſe, ſequutus eſt Dominicum *Capranica*, qui cum illum in ſuo famulatu retinere non poſſet, fecit ut tranſiret ad ſeruitium Cardinalis Albergati, Pius ille Secundus, antea vocatus Andreas Sylujus, fuit à ſecretis Federico Tertio Imperatori. à Nicolao Quinto creatus Epiſcopus Trieſtenſis, & Senenſis, Canonicus Tridentinus abreviator, & Subdiaconus Apoſtolicus, à Calixto Tertio factus Diaconus Cardinalis Sancti Euſtachij, poſt Presbyter Cardinalis Sanctæ Sabinæ, poſt tot inſignes Titulos ut quid itur ad Capram, & tabernam Italice *Albergo* quam vocem, uti & Italicam linguam neſcio an Sanctus Malachias calluerit, *Bos paſcens* pro Caliſto Tertio, cujus inſigna bos erectus, non inclinatus ad paſculum, claudicat.

Tres ſequentes Pontifices, Paulus Secundis, Sixtus Quartus, Innocentius Octavus, tam abſurde deſignantur, ut mirum ſit cur ullus ejuſmodi ineptiis fidem adhibuerit, *de Cervo*, *&* *Leone* pro Paulo Secundo, ut pote ait interpres qui fuit

Commendatarius Eccleſiæ Cerujenſis , & *Cardinalis S. Marci* , in ejus autem vita , apud Ciaconium , editione tertia , non habetur quod fuerit Commendatarius Eccleſiæ Cerujenſis , ſed bene Commendator Xenedochij Sancti Spirtus in Saxia , quid itaque Xenodochio præfato cum Eccleſia Ceruienſi. Nugæ ſunt.

Piſcator Minorita , *Piſcatoris filius Franciſcanus* pro Sixto Quarto fallitur , & craſſe errat , gens enim Roborea ut habet editio tertia Ciaconij , ex quo ortus eſt Sixtus , nobilis fuiſſe traditur , Leonardus ejus Pater Savonenſis,non Piſcator,ſed Vir inter Urbis ſuæ Cives honoratus , & omnibus in Patria Magiſtratibus functus , Luchina Muliona Mater honeſto loco Savonæ genita ibidem , clari exſtiterunt , de quorum nobilitate & inter Savonenſes dignitate , videatur nova additio Oldoini ad Ciaconium , in qua detegitur falſitas hujus prætenſi Vaticinij

Præcuſſor Siciliæ pro Innocentio Octavo , Joanne Baptiſta Cybo vocato, eſt proſecutio nugarum , eo nimirum quod vixerit in

aula

aula Alphonſi Regis utriuſque Siciliæ, non legitur Innocentius pedem unquam fixiſſe in Sicilia, ſed vixiſſe in præfata aula Neapoli exiſtente, hoc ſane eſt hominibus imponere, ſimilia figmenta pro Vaticiniis Venditare.

Alexander Sextus *bos Albanus in portu*, quod fueriit Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, & Portuenſis, & habuerit in inſignibus bovem, bos tamen ille, non erat gentilitia teſſera Alexandri, ut pote nato ex gente lenzolia Ordinis equeſtris, ſed adſcititia, quam à Borgiis ille mutuatus eſt.

Pius Tertius *de paruo homine Piccolimini*, filius erat Nanni Tudeſchini, opulentiſſimi Hominis Senenſis, & laodomiæ Piccolomineæ, Pij Secundi ſororis, Vaticinium Superius, dat ipſi cognomen non Patris, ſed Matris more prępoſtero.

Quinque ſequentia Vaticina ſive effata minime ad rem quadrant, vel inſpirationem divinam olent, *fructus Jovis juvabit* pro Julio Secundo, cujus inſignia quercus, *Jovis Arbor de Craticula Politiana*, pro Leone Decimo, filio Laurentii Medicei,

olim Scolari *Angeli Politiani*, *Leo Florentius* pro Adriano Sexto Florentij filio cujus inſignia Leo, *flos pilei ægri* pro Clemente Septimo, Florentino domo Medicea, cujus inſignia Pilæ, *& lilia*; *Hyacinthus Medicorum*, pro Paulo Tertio Farneſio, olim Cardinali SS. Coſmæ, & Damiani, cujus Symbolum lilia, credibile non eſt Spiritum Sanctum feciſſe mentionem Jovis, ut deſignaret hominem, cujus inſignia quercus, neque per illa verba, *de Craticula Politiana*, voluiſſe denotare filium Laurentij Medicei, olim Angeli Politiani auditorem magnum; ſed ſine fundamento videtur eſſe myſterium in iſtis verbis *Leo Florentinus* pro Adriano Sexto, Florentij filio Leonem, pro teſſera habente: æque nugatur iſtud aliud *flos Pilei ægri* pro Florentino domo Medicea, vel inſignibus pila & liliis, quid habet pila cum pileo, cum toto cælo differant, aut Hyacinthus *Medicorum* cum liliis, pro Paulo Tertio, cum maxime interſe differant, lilium, & Hyacinthus, tam in colore quam in virtute.

De

De *Corona Montana* pro Julio Tertio antea vocato Joanne Maria de monte, item, *frumentum floccidum* pro Marcello Secundo cujus inſignia ceruus, & frumentum, forte magis ad rem accedit iſtud *de fide Petri*, pro Paulo Quarto nuncupato, olim Ioanne Petro Caràffa, eo ſcilicet quod cognòmen iſtud prętendatur, ortum eſſe ex iſtis Italicis vocibus *de cara fe: me lavoſtra*, plane ridiculum eſt ex incerto fonte, ac longe petitum.

Eſculapij Pharmacum pro Pio Quarto, eſt æque ridiculum *ac fructus Iovis* pro Iulio Secundo de quo ſupra.

Angelus Nemoroſus pro B. Pio Quinto, olim nominato Michaele Giſlerio, nato in oppido de Boſchi, longius, quam par eſt deducitur cum non defuerint alij clariores Tituli ad eùm deſignandum, ut pote qui fuit Sanctitate conſpicuus, Ordinem Prędicatorum profeſſus, hæreticæ pravitatis inquiſitor, Cardinalis Tit. S. Mariæ ſupra Minervam.

Medium Corpus Pilarum, pro Gregorio Decimo tertio proteſſera habente medium

Draconem, olim facto Cardinale à Pio Quarto, Pilas pro Symbolo geſtante; ſapit equidem ſomnium dormientis, namſi in ſenſu gramatico ſumatur effatum, medietas illa corporis referetur, non ad Draconem, ſed ad Pilas, ut illæ, non draco dicantur diviſæ.

Similibus nugis ludit illud *axis in medietate ſigni* pro Sixto Quinto, cujus teſſera fuit Leo aureus cum ſuperiecto ſibi vecte puniceo inuſto aurea ſtellula cincinnata, ſeu caudata argenteoque trimontio, & quid habet teſſera iſta cum axe?

Ex eadem farina eſt iſtud *de rore Cæli* pro Vrbano Septimo, qui fuit olim Archiepiſcopus Roſſanenſis in Calabria, ubi manna colligitur, latius patet ros cœli qui eſt humor ſereno tempore, e cœlo diſtillans, quam manna, quæ eſt ſpecies roris, unde prædictio iſta, *de rore Cæli*, non magis deſignat Vrbanum Septimum, quam alium quemvis ex tot Mundi partibus in quibus inuenitur vel decidit ros e Cœlo.

Ex antiquitate Vrbis hic tam vati, quam ejus

ejus interpreti, hæſit aqua, ceſſavit interpretatio, ſperabat uterque ſcilicet Pontificem Urbani Septimi ſucceſſorem, aſſumendum fuiſſe per oraculum Spiritus Sancti, ex Urbe veteri Italice *Orvieto* vel igitur effatum prædictum alludit ad Urbem veterem præfatam, vel ad aliam quacumque vetuſtam Urbem, ſi primum, fallit manifeſte, nam ſucceſſor Urbani fuit Gregorius Decimus quartus Mediolanenſis, gente Sfondrata, ſi alludit ad aliam quamcumque anti quam, vel vetuſtam Urbem quot rogo in Europa ſunt Urbes vetuſtiſſimæ, in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia in qua ſunt Urbes vetuſtate celebres Roma, Alba, Tybur, Bononia, Florentia, Mediolanum, Neapolis, Janua &c. de quavis ex illis poteſt verificari oraculum *ex antiquitate Urbis*, author prodit ſomnia capitis ſui.

Sed quis divinabit, quid ſibi velit *pia Civitas in bello* pro Innocentio IX. Fachenetto, Bononienſi, quæ nam eſt illa pia Civitas inter tot ac tantas pias Urbes Italiæ, Franciæ, Hiſpaniæ, in quibus maxime flo-

ret

ret pictas bonorum operum, aſtro labio opus eſſet, ut quis eam indagaret.

Crux Romulea, non recte deſignat Clementem Octavum, cum non alludat ad ejus teſſeram in qua non fuitCrux,ſed ſcintillantes ſtellę circa balteum,aureum utrimque pinnulis ternis prominulis aſperatum intra ſcuti alucolum cyaneumſive ceruleumerrat itaque effatum.

Vndoſus vir non quadrat Leoni Vndecimo, cujus inſignia non erant unda vel rivuli, ſed pilæ, quid etiam habet *gens perverſa*, cum Paulo Quinto, cujus inſignia erant Draco, & Aquila, ſi ad hæc alludit non bene dicitur gens pręuerſa de animalibus quæ de ſolis hominibus, plerumque enunciatur, quam rogo habet affinitatem iſtud aliud effatum *in tribulatione pacis*, cum Gregorio Decimo quinto, qui nullam legitur tribulationem paſſus cujus ſymbolum, baltei terni penduli, aurei, & abſciſſi, vel cum Vrbano Octavo lilium, & Roſa cujus inſignia tres Apes aureę in ſcutialueolo cyaneo.

Effata ſequentia aliquam credulitatum

præ-

præbent iis qui hæc commenta velut oracula recipiunt, *nam jucunditas crucis* attribuitur Innocentio Decimo, die exaltationis Sanctæ Crucis electo ſed ſane ſi deſignant diem Creationis, non denotant magis perſonam Cardinalis Pamphilij, quam quemvis alium ſi eodem die eligeretur tam parui æſtimabatur momenti iſtud effatum, ut nullus de eo fecerit mentionem, in inſcriptionibus fieri ſolitis, pro equitatu quo nouus Pontifex adit poſſeſſionem Baſilicæ Lateranenſis, Paulo poſt quidem cuſum fuit numiſma, in quo viſebatur Crux à duobus Angelis adorata cum hac inſcriptione *fructum ſuum dedit in tempore*, & mentio erat B. Felicis à Cantalicio qui Pontificatum illi prædixit

Montium Cuſtos Videtur non nihil favere Alexandro Septimo qui in gentiliis insignibus habebat montes, habuere ſimiliter non nulli alij Cardinales Montes pro symbolo, nec montium cuſtos ſignificat hominem qui pro teſſera habet montes.

Sydus olorum pro Clemente Nono aplicatur fortuit caſui conſtellationis Cygoni, inter

inter ſydera, depicti in fornice Cameræ quæ ſorte illi in conclavi contigit, ſed præterquam quod dicendum foret ſydus oloris, & non olorum, cum inter aſtra non inueniatur, niſi unicus olor, in eadem fornice, aliæ etiam conſtellationes videbantur expreſſæ.

Clementi Decimo non recte quadrat, *de flumine magno* ſive ſumatur pro Tyberi, ſive pro pado, fuere enim tunc alij Cardinales orti prope utrumque flumen, falſum etiam eſt eum natum tempore magni cujusdam diluvij anno 1598. in vigilia Nativitatis Domini per Urbem inundantis, nam aliquot annis antea editus fuit in lucem, hinc aliqui recurrerunt ad iſtas voces Hiſpanicas Alto Rio, ſed cum præfatæ voces non ſignificent Altieri, diverſum ab illis habent ſignificationem, cur quæſo Sanctus Malachias, qui non erat Hiſpanus, nec in Lingua Hiſpanica veriſimiliter verſatus, illis verbis uteretur pro Papa neutiquam Hiſpano.

Bellua inſatiabilis non bene conuenit Innocentio Vndecimo eo quod habuerit

pro

pro teſſera Leonem ignitum, id enim melius enunciaretur de Lupo, quam de Leone illo ignito, quem ſimiliter, ut ego ipſe obſeruavi, alij etiam Cardinales in ſuis inſignibus geſtabant, deinde bellua non recte dicitur, de Leone nobili illo animali, ſed de immani aliqua fera.

Vt autem appareat quam facile ſit pro cujuslibet libitu dare, vel affingere ſenſum hujuſmodi commentis tam vagis tam indeterminatis, aliud efformari poteſt ſyſtema diverſum ab eo quid effinxit Arnoldus Wyon, & alius magis congruus ſenſus eis tribui.

Ducatur exordium ab Innocentio Secundo, loco Cæleſtini Secundi & dicatur ipſi potius competere illud effatum *ex Caſtro Tyberis* quia natus eſt ex illuſtri familia, cujus Palatium ſive ædes extabant in regione Tranſtyberina, inter Vaticanum, & Arcem Sancti Angeli, quam ædem ipſe conuertit in Templum dedicatum Beatæ Virgini, ut videre licet in inſcriptione quæ adhuc extat ibidem.

Hæc

Hæc in honore tuo præfulgida Mater honoris,
Regia divini rutilat fulgore decoris.
In qua Chriſti ſedes manet, ultra ſæcula ſedes.
Digna tuis dextris eſt quam tegit aurea veſtis,
Cum moles ruitura factus foret, hinc oriundus,
Innocentius, hanc renovavit Papa Secundus.

De illo ita Ciaconius, *fuit Innocentius Natione Romanus de Regione Tranſtyberim, ex familia quæ tunc Guidonia, poſtea de Papa, & Papareſca vocitata eſt.*

Inimicus expulſus ſequens ad illud *ex Caſtro Tyberis* poſſet adaptari Anacleto Secundo Antipapæ, cui Petrus Venerabilis Cluniacenſis S. Hugo Epiſcopus Gratiopolitanus, & D. Bernardus ſe oppoſuerunt, & poſtremus ſcribens eidem Petro poſt obitum Anacleti ſecutum anno 1138. 7. Ianuarij hæc inter alia exaravit *peſſimus inimicus abſciſſus eſt* quæ quaſi coincidunt, cum iſtis *inimicus expulſus*, eadem apte deſignarent Cæleſtinum Secundum in quo ceſſarunt ſciſmata, & tumultus omnes, quandoquidem poſtridie mortis Innocentii Secundi, omnium Cardinalium votis fuerit electus

electus, abſque ſuffragiis, & interuentu populi, qui plerumque turbabat electiones, & ſciſmata excitabat atque ita poſſet dici inimicus fuiſſe expulſus, quando Populus jus electionis amiſit, id in Cæleſtino initia habuit ſic dicente Pannvino. *Cæleſtinus Secundus primus ſine Populi interuentu, Summum Pontificatum adeptus eſt.*

Lucius Secundus Cæleſtini ſucceſſor non inepte denotaretur iſtis verbis *ex magnitudine montis.* quia fuit Cardinalis Tit. S. Crucis in Hieruſalem ideſt Caluariæ magni illius ſalutis humanæ montis, ubi Redemptor noſter fuit Crucifixus, & Eccleſia in honorem Sanctæ Crucis extructa, fuit item Lucius Canonicus Regularis Monaſterij Sanctæ Crucis in Hieruſalem, quem inquit Ciaconius, *ex Canonico Regulari Monaſterij Sanctæ Crucis in Hieruſalem Congregationis Sancti Fridiani Lucenſis, Caliſtus Secundus Papa, omnium Canonicorum ejusdem Monaſterij electione Presbyterum Cardinalem, ejusdem Sanctæ Crucis in Hieruſalem conſtituerat.*

Abbas Suburranus, competeret Euge-

nio

nio Tertio Abbati Ordinis Ciſtercienſis, & Diſcipulo S. Bernardi.

De rure Albo deſignaret Anſtaſium IV. Canonicum Regularem Ordinis S. Ruffi Albis veſtibus utentis.

Ex tetro Carcere, quadraret in Adrianum Quartum, ex tractum, ex puluere, & miſeria, in quo natus fuit, creatum Cardinalem eo ipſo tempore, quo ejus Religioſi, illum apud Sanctam Sedem velut hominem violentum, & parum Religioſum accuſabant.

Via Tranſtyberina caderet in Alexandrum Tertium, qui in Regione Tranſtyberina, ex Arce Sancti Angeli eductus, tribus diebus latuit *Alexander III.* inquit Caconius, *Cum ſuis ex Adriani mole à Senatoribus eductus, triduo Tranſtyberim manſit: En tibi via Tranſtyberina. inde Populi tumultu libere dimiſſus.*

Ex panonia Tuſciæ conueniret Lucio Tertio, antea nuncupato *Hunbaldo* id eſt *Humi campus*, qui eſt panonia Hunnorum Patria, fuit Lucenſis in Tuſcia atque adeò ex Panonia Tuſciȩ.

De-

Denique electio San. mem. Papæ Alexandri Octavi penitus deſtruit, & diſſipat chimeras prædictionum Sancto Malachiæ Falsò attributarum, *cum pœnitentia glorioſa* non bene conueniat illi Pontifici, olim dictus fuit Petrus Ottobonus Venetus filius Cancellarij Reipublicæ Venetæ, Marci Ottoboni, & Victoriæ Torniellæ Venetiis natus 19. Aprilis anno 1610. prima ſtudia perfecit Venetiis, in Vniverſitate Patavina vacavit Philoſophiæ, & utrique Juri, ſub Liccto Pellino, & Bartholomeo de Vechiis Senenſi, artium, & utriuſque juris lauream ibidem aſſecutus, vigeſimo ætatis anno Romam à ſuo Patre deſtinatus fuit, ut ibidem negotiis Eccleſiaſticis, & praxi curiæ operam impenderet, ſub Ioanne Baptiſta Coccino Veneto, Sacrę Rotæ decano, Viro in jure Canonico Verſatiſſimo.

Ciaconij proſequutor errat, in eo quod nativitatem prædicti Pontificis figat die 19. Aprilis anni 1620. loco anni 1610. ſed retractat errorem, dum Paulo poſt ſubiungit eundem ſe Romam contuliſſe ætatis

tis anno 20. poſt lauream in Vniverſitate Patavina obtentam.

Urbanus Octavus Prælatum illum, & utriuſque ſignaturæ referendarium creavit, ſub ejus Pontificatu fuit Gubernator Civitatis Interamnenſis, Reatinæ, Caſtellanæ, juſſu præfati Pontificis, juit ad componendas lites Populi Spoletani, ac vicinorum, factus denique, ad nominationem ſuæ Reipublicæ Rotæ Romanæ Auditor: ab Innocentio Decimo in ſexta creatione 19. Februarij anni 1652. inter undecim, Cardinales Petrus Ottobonus fuit ſextus, Vaticano Galero inſignitus, primus inter prædictos, fuit Ioannes Franciſcus Paulus deGondiisArchiepiſcopusCorinthij,Coadiutor Pariſienſis nominatus Cardinalis de Retz Secundus Dominicus Pimentel Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Tertius Fabius Chiſius, olim ad pacem Monaſterienſem Apoſtolicus Nuncius, poſtea Pontifex Alexander Septimus nuncupatus, Quartus IoannesHieronimus Lomellinus, Vrbis Gubernator Cameræ Apoſtolicæ Theſaurarius, Quintus Ludovicus Homodei ejuſ-

dem

dem Cameræ Decanus, Sextus Petrus Ottobonus Auditor Rotæ, reliqui fuere, Jacobus Corradus Auditor Rotæ, Marcu s à Santa Cruce, Baccius Aldobrandinus Federicus Lantgravius Haſſię, Carolus Barberinus Urbani Octavi pronepos.

Alexander Septimus ad Apoſtolicam Cathedram Evectus apud ſe retinuit Cardinalem Ottobonum, induxit ut Epiſcopatum Brixienſem dimitteret, & ex Titulo Sancti Saluatoris in Lauro, tranſiret ad Tit. S. Marci, fuit Datarius ſub Clemente Nono, & ex Congregationibus Epiſcoporum, & Regularium, Sacri Concilij Tridentini interpretum, examinis Epiſcoporum, Signaturæ gratię, & Juſtitiæ, viſitationis Apoſtolicæ, de Propagandafide, Sancti Officij, Epiſcopus Tuſculanus Vicedecanus Sacri Concilij, inter fuit quinque conclavibus ſcilicet Alexandri Septimi, Clementis Noni, Clementis Decimi Innocentii Vndecimi, tandemque quinto Conclavi, in quo ipſe fuit creatus Pontifex, fuit Vir prudens, ſingulari experientia edoctus, bonæ intentionis, rectus,

dexter, Vigil, rebus gerendis intentus, in his autem omnibus prerogativis, nullum locum occupat *pœnitentia glorioſa*. Nam dicere quod ejuſmodi axioma illi conueniat quod fuerit creatus Pontifex in Feſto Sancti Brunonis, celebris illius pœnitentis, non deſignat perſonam Pontificis, ut oporteret, ſed diem Creationis, quod alteri ad Pontificatum aſſumpto cõpeteret; æque etiam exorbitat ſi de illo enunciaretur *pœnitentia glorioſa*, quod nuncuparetur Petrus ex Apoſtolorum Principe Petro, altero celebri pœnitente, nam illi eidem Conclavi interfuere alij Cardinales ex eo nomine nuncupati.

Fuit Cardinalis Ottobonus Civis, & Patritius Venetus, Author meus fuſe proſequitur vetuſtatem, prerogativas, nobilitatem familiæ Ottobonę, munia pro Republica domi & foris, terra marique geſta, copioſos ſumptus in bonũ publicũ, impenſos ejuſdem familię ob ſua pręclara merita in numerum Patritiorum, adſcriptionem, teſſeræ gentilitię prefatæ familię ſunt balteus in ſcuti Alueolo Cyanei, & Aquila biceps

biceps Ordine præpoſtero, in ſcutario apice, exſtat in Eccleſia Sancti Marci Vrbis Romæ Celebris memoria gentis Otttobonæ, ut in ſequenti Scriptura videre licet.

Deo Optimo Maximo
Hieronymo Ottobono Fr.
Marcus Ottobonus
Eques Patritius Venetus
Poſuit anno 1590.
Petrus Tit. S. Saluatoris in Lauro
S. R. E. Presb. Cardinalis Ottobonus
Epiſcopus Brixienſis
Reſtituit ſibique, & poſteris præparavit
Anno Salutis 1655.

Nihil in his omnibus ſive Symbolo gentilitio, ſive Tit. Cardinalatus ſive in muneribus geſtis, in ſplendore, & cognomine familiæ ſive in natali ſolo, ſive etiam in ipſa voce *Petro* reperitur, ad quod alludat *pœnitentia glorioſa* cur enim ad Petrum potius, quam ad Joannem Baptiſtam eximium pœnitentiæ ſpeculum, &

conem alluderet? Petri autem nomine Cardinales aliqui in illis Alexandri Octavi comitiis nuncupabantur.

Siſto tandem ne ulterius pergam, ad illud quod ſequitur ad pœnitentiam glorioſam, *nempe Raſtrum in Porta* quod competere deberet Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Duodecimo fæliciter hodie regnanti, nullam prorſus, vel conuenientiam, vel affinitatem habet neque cum teſſera, neque cum muneribus, quæ tam laudabiliter geſſit, non cum familia, quę eſt nobiliſſima Pignatellorum, quid enim cum illa habet Raſtrum, vel Porta, non cum gentilitiis inſignibus, quę ſunt *atræ ollulæ tres*, & duę quidem aduerſę in ſupera ſcuti aurei regione, tertia vero in una ejus cuſpide, quid hæc ad raſtrum, non cum Titulo, nulla enim eſt Eccleſia Titularis in Vrbe, quę habet raſtrum pro Symbolo, non cum muniis, quæ obivit, qui his dignitatum gradibus ad Summum Pontificatum aſcendit, fuit enim meliten-ſis inquiſitor, Florentię, Viennæ, Polloniæ Apoſtolicus Nuncius, Eccleſiæ lec-

cenſis

cenſis Antiſtes, Sacræ Congegationi Epiſcoporum, & Regularium à ſecretis, Clementi Decimo, Innocentio Vndecimo cubiculi pręfectus, ac tandem purpuratis adſcriptus Faventiæ Epiſcopus, Legatus Bononienſis, Neapolitanus Archiepiſcopus omnem honorum ſemitam laudatiſſimis calcavit exemplis, non item ex teſſera vrbis Neapolitanę quæ eſt ſcuti teſſerarij Alueolus tranſuerſe partitus alternantibus in eo jubar colore, & Mettallo nempe aurò & Coccino. In his omnibus nihil eſt quod ſpectet ad raſtrum in Porta.

Tandem quod Author, quem huc uſque ſum ſecutus, optavit ex Pontificatu Alexandri Octavi, hoc in glorioſo Pontificatu Innocentij Duodecimi ſperare licet, ut compoſitis Catholicorum Principum diſſidiis fauſta Pax redeat, & orthodoxa religio tot periculorum fluctibus agitata, tot perſecutionum procellis in multis partibus pene oppreſſa, ſtabilem tranquillitatem aſſequatur, denique vt his effatis finem imponam id poſtremum obſeruo nullibi in toto progreſſu, luculentius apparere mi-

ram quandam temeritatem, quam in ultimo, ſic pronuntiante.

In perſecutione extrema S. R. E. ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet Oves in multis tribulationibus, quibus tranſactis Civitas Septicollis diruetur, & Judex tremendus judicabit Populum ſuum, hic mirum in modum ſe torquet P. Joannes Germanus Ciſtercienſis, qui in hæc Vaticinia integrum volumen ſcripſit ut à temeritate, & præſumptione de prętenſa præſcientia diei Indicij eorum excuſaret Autorem, tandem aſſerit illa non niſi humana credulitate niti, & eis poſſe ſubeſſe falſum, quod de veris tamen revelationibus dici non poteſt, vt pote à Spiritu Sancto dictatis, deinde effatum illud videtur repugnare Verbis Chriſti Matthęi 24. *Sicut autem in diebus Noe, ita erit, & aduentus filij hominis, ſicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noè in Arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes, ita erit, & aduentus filij hominis, ex quibus verbis*

expoſi-

expoſitores, colligunt inter mortem Antichriſti, & tempus finalis judicij, homines victuros in magna ſecuritate, pace, & tranquillitate, nihil minus quam prædictum judicium, cogitantes, inferunt ſimiliter nonnulli ex aliis locis, omnes ante finem Mundi, & poſt mortem Antichriſti futuros eſſe vnius fidei, & Religionis, non erit ergo occaſio ejuſmodi perſecutionis, vel tribulationis in cauſa fidei, vel contra Eccleſiam, aut illius viſibile caput Romanum Pontificem, cui vero ſimiliter omnes obedient, rurſus temeritas prædicti effati renovat damnatos errores Albigenſium, Arnoldi de Villa Nova, tempus extremi judicij determinantium, contra verba Chriſti Math. 24. *de die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum niſi ſolus Pater*. Poſſet autem ſi non Phiſice, ſaltem moraliter determinari determinato ultimo Pontifice ex morali æſtimatione circumſtantiarum, loci, temporis vitæ, & perſonæ, poſtremo denique uti in hoc ipſo effato, author iſtorum comentorum apertam ſuam temeritatem prodit,

ita

ita in reliquis ridiculum fingendi, & comminiſcendi artem pateſecit ut in poſterum, nullam mereatur fidem, finio hactenus cum P. Mieneſtrier, cujus opuſculo ſequens approbatio ſubiungitur *tractatus hic à R. D. Meneſtier Soc. Jeſu editus accurate detegit Chimeras quorundam Vaticiniorum, ſub nomine S. Malachiæ de ſummis Pontificibus, & vtilis eſt ad diſcernendas ejuſmodi illuſiones*. Datum ex Sorbona die 15. Septembris 1689.

Cocquelin.

Viſa approbatione imprimatur 15. Septembris 1689.

De la Reyne.

Sed quia prædictionibus hujuſmodi nonnulli alias etiam de Summis Pontificibus Joachimi Abbatis adiungunt, hinc operæ pretium exiſtimavi, in ſequenti Paragrapho celebrium Authorum ſententias, & judicia referre de præfato Abbate ejusque Spiritu Prophetico & Vaticiniis.

§. Vltimus.

Recenſentur Authorum opiniones de ſcriptis, vaticiniis, & Spiritu præſago Joachimi Abbatis, tam quo ad Summos Pontifices quam quo ad alia.

DE Joachimo Abbate ita Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ verbo, *Joachim Abbas Florenſis Cænobij Ordinis Sancti Benedicti ex Calabria oriundus, vir indivinis ſcripturis ſtudioſus, & exercitatus, & ſuo tempore veriſſimus Propheta creditus, & ſcripſit ad fratrem Raynerium de pontio in totum Iſaiam Prophetam ſtylo rudi, & obſcuro commentariorũ librum unum in quibus multa de ſeptem temporibus Eccleſiæ, & de Oneribus ſexti temporis quaſi futurorum præſcius, diſſeruit multas immiſcens Prophetias, & Vaticinia de futuris temporibus, quæ an impleta, vel adhuc implenda ſint*

ſint alij viderint &c. ita ille ſed an fuerit Propheta ſequitur.

Judicium Angelici Doctoris, & Guillelmi Pariſienſis de Joachimi Abbatis Vaticiniis.

SAnctus Thomas ergo lib. 4. ſententiatiarum diſt. 43. quæſt. 1. att. 3. quæſtiuncula tertia, de illo ſic habet *Abbas Joachim non Prophetico Spiritu, ſed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum pervenit aliquando fallitur de futuris aliqua vera prædixit, & inaliquibus deceptus fuit, hactenus Angelicus Doctor, ſic deceptum fuiſſe in vano quodam Vaticinio* facto de Ricardo Angliæ Rege infra videbimus.

Simile fert judicium de præfato Ioachimo Gulielmus Pariſienſis libro de virtutibus *debes ſcire inquit, quia donum intellectus tantæ Claritatis eſt, acuminis in quibuſdam vt valde aſſimiletur ſpiritui Prophetiæ, qualem crediderunt nonnulli fuiſſe in Abbate Joachimo, & ipſemet de ſe ipſo dixiſſe*

xiſſe dicitur, quia non erat ei datus Spiritus Prophetiæ, ſed ſpiritus intelligentiæ, ita ille.

Cardinalis Baronÿ ſententia de eodem apud Spondanum in Epitome ex Rogerio Hovedon de Ricardo Angliæ Rege ad annum 1190.

POſt hæc vero idem Richardus (inquit ille auctor) recordatus fęditatis vitæ ſuę, cum vepres libidinum exceſſiſſent caput ejus, poſt contritionem cordis, conuocatis in unum univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuis, qui cum eo erant apud Meſſanam, nudus procidens ad pedes eorum peccata ſua coram illis Deo cofiteri non erubuit, & ab iisdem, pœnitentiam, recepit factuſque eſt ab illâ horâ, Vir timens Deum, recedens à malo, & faciens bonum. Habuit etiam colloqujum cum Ioachim Abbate de Curatio, & Monacho Ciſtercienſi, qui Propheta Dei circumferebatur eſſe in Sicilia, ſed tam ſuis ipſius variis reſponſis, quam inanibus prædictionibus

nibus inuentus eſt pſeudo propheta, cum pleraque aſſeruit ventura, quæ penitus in contrarium acciderunt quod ſignum dedit Deus Populo ſuo, ad cognoſcendum verum Prophetam à falsò. Vnde, & auctor ipſe qui tunc iſta ſcribebat, Rogerius, veritatem prædictionum ejus ab eventu jure fore noſcendam aſſerens; ex eo plane diverſo, ab ipſis prædictionibus coniicit eum impoſtorem extitiſſe: qui & poſteà ſententiam condemnationis cum ſuis ſcriptis, accepit ſub Innocentio Papa Tertio.

Cardinalis Bellarimini Judicium lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis de Joachimo Abbate 1195.

JOachimus Abbas Florenſis Monaſterij vivebat anno 1195. ſcripſit in Iſaiam, & Hieremiam, & Apocalypſim, & concordiam teſtamenti veteris, & novi: quæ omnia extant. Circumferuntur quædam Vaticinia ſub ejus nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum ſit judicium: illud mirum

eſt,

eſt, quod cùm ea Vaticinia ad ſolos quindecim Pontìfices pertineant, tamen curioſitas hominum ad noſtra vſque tempora, extendere illa conatur.

De præfato Joachimo Abbate Judicium P. Cornelij à Lapide in quæſtionibus proœmialibus in Apocalypſim.

DVodecimo, Hugo Card. anno 1240 Albertus Magnus anno 1260. & Joachim Abbas anno 1200. qui juſſu Lucij III. Urbani III. & Clementis III. Pontificum Roman. ſcripſit in Apocalypſim, atque à multis ſuo tempore habitus eſt Propheta, teſte Sixto Senenſi lib.2. Biblioth. verbo *Joachim*, ſed negat Trithemius: Quia inquit, Joachim prędixit Fredericum Imper. Hoſtem fore Eccleſiæ, cujus contrarium experientia nos docuit. Et Alcazar notat. 22. num. 3. erravit, ait Joachim in Myſterio SS. Trinitatis, & pro vno Deo tres inducere voluit: quo circa error ejus damnatus eſt Tit. *de ſumma Trinitate, & Fide Catholica cap. Damnamus.*

Et

Et eſto ſuum errorem ipſe agnoverit, & revocarit, tamen qua facilitate ſuo judicio nimis fidens, ſemel illuſus, & deceptus eſt, eadem potuit, & ſecundo decipi, nam Prophetiæ ejus, potius ſomnia ac deliria videntur. Quale eſt illud, quod aſſerit de duodecim Apoſtolis in fine mundi mittendis, qui non erunt, inquit Apoſtolis Chriſti inferiores, atque hoc ille ſomnium perſuadet ſibi in litterali Apocalypſeos ſenſu contineri in num. 24. Seniorum. Quocirca S. Thomas in 4. diſtinct. 44. art. 3. queſt. 2. ad 3. Abbas Ioachim, inquit, per coniecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit, vide quæ de Ioachimo annotavit prefatione in Iſaiam in fine.

Rurſus idem P.Cornelius à Lapide de prædicto Joachimo Abbate in Argumento Commentarij in Iſaiam.

POſt Rupertum ſcripſit Ioachim Abbas Florenſis, novomiroque modo explicat Iſaiam, & Ieremiam, nimirum Propheti-

phetice. nam Prophetias de priſcis gentibus Ante-chriſtum explicat de gentibus fidelibus poſt Chriſtum. Tam ergo Prophetam agit, quam Iſaias, vel Ieremias, iiſque ſæpe obſcurior eſt v. g. onera Babylonis, Philiſtiim aliarumque gentium, de quibus agit Iſaias cap. 13. & ſequent. ſic generatim explicat, & adaptat onus inquit Babylonis ſecundum concordiam tangit, Romam ſicut Caldea Alemaniam [cur non potiùs Italiam? ſicut enim Babylon erat Metropolis Chaldeæ, ſic Roma eſt Italiæ] onus Philiſtiim ſecundum concordiam Lombardos, & alios Italos: onus Moab, & filiorum Ammon, Principes latinos, & Græcos, onus deſerti Maris Africanos, & alios Saracenos: onus duma, vel Idumeæ tangit Negotiatores Iudæos ſapientes, & legiſtas, & Græcos, onus in Arabia, Hiſpanos, & Marchianos: onus vallis viſionis, cujuſcumque Ordinis Regulares, onus Tyri Siculos, & Regniculos ſibi ſubiacentes, onus Ægypti Iudæos, Danos, & Francos, onus Damaſci tangit Tuſcos, & ligures in gladio verbi Domi-

ni, & ferro effundendos, & conterendos. Similiter Scribens in cap.4.Ieremiæ, & in capit. 14. Apocalip. Prophetat duos fore ordines, qui reformaturi ſint Eccleſiam, eoſque adumbratos fuiſſe per coruum, & Columbam, quos Noè emiſit ex Arca genes. 8. Quin, & ferunt ejus juſſu depictos fuiſſe S. Dominicum, & S. Franciſcum, cum Stigmatibus, & habibitibus ſuis, ſupra fores veteris Sacriſtiæ Santi Marci Venetiis, qui uſque in prꝑſentem diem manent, cum conſtet Ioachim ætate præceſſiſſe S. Dominicum, & S. Franciſcum, ſed modica, nam iam tunc vivebant, S. Dominicus, & Franciſcus, qui Paulo poſt ordines ſuos inſtituerunt, ut notat P. Poſſevinus in Biblioth. verbo *Joachim.* multa alia Prophetat de Fiderico Imper. Henrico, & aliis, ſed ſæpè tam obſcure, & ęnigmaticè, ut œdippo ſit opus, de quibus id ſentiendum ſit, dicam proemio in Apocalipſim, quam poſt Prophetas edere deſtino. Videtur ipſe Prophetias S. Scripturæ ſuę ætati ſuiſque temporibus puta ſæculo duodecimo, & decimo tertio poſt

Chri-

Chriſtum [floruit enim ipſe anno Domini 1200.[accommodare voluiſſe, ſed quam concinne, & vere non ſatis liquet præſertim, quia indefinitè, & generaliter loquitur, nec certum deſignat tempus, quo ea, quæ Prophetat implenda ſint. Iam ergo ejus Prophetiæ parum utiles ſunt, cum quia generales, tum quia obſcuræ, tum quia præteritæ, tum quia ambiguę, plerumque enim per parabolas Prophetat de Septem Eeclesiæ temporibus, & de oneribus ſexti temporis;eumque proinde hac in re ſecuti videntur Petrus Galatinus, Urbertinus de Caſalis, & ſimiles ſcribentes in Apocalypſin, eamque adaptantes ſeptem futuris Eccleſiæ ſtatibus, fundamentum eorum eſt, quod cenſeant, nihil in veteri teſtamento geſtum eſſe, quod in novo pariter, non geratur aut gerendum ſit, qua de re ſcripſit Ioachim lib. de concordia novi, & veteris teſtamenti.

De eodem Joachimo Abbate judicium Patris Ludovici ab Alcaſar in proemialibus in Apocalypſim Not. 10.

IN ęnigmatibus Propheticis manifeſtum eſt interpretationem illam, quę in omnia ordinatim quadrat ita ut eventus ipſi per Ordinem Vaticinij partibus aptè aplicatis reſpondeant perſpicuè oſtendere, & eum eſſe germanum ænigmatis ſenſum, & enigmata ipſa eſſe in magno pretio habenda, ut vere prophetica, contra autem ſi eventuum ſeries Symbolorum Ordini non congruat, aut Prophetia ipſa ludibrio erit, ſi de ejus poſſit auctoritate dubitari, aut ſaltem conſtabit, non dum eſſe anigmatis Myſterium Divinatum. Huic rei exemplum aptum afferri poteſt, liber ſive Prophetia de Summis Pontificibus, qui Abbati Ioachimo tribuitur: in quo ſi perſpicuè conſtaret ipſius Symbola, ſive ænigmata Pontificibus eodem Ordine quo alij aliis ſuccedunt, conuenire ita, ut triginta

Sym-

Symbola totidem Pontificibus per Ordinem quadrarē cernerentur; planum inde fieret illius libri ſcriptorem fuiſſe Prophetam, librumque ipſum ſumma Religione ſuſcipiendum. Enim vero ſi inter applicandum magna ordinis apparet perturbatio, prudentiſſimus quiſque facile judicabit, librum illum nugatorium plane eſſe, ex eo tamen quod Symbolum aliquod ſingulari alicui Pontifici videatur poſſe aplicari, & alterum alteri [vel ſi plura pluribus conueniant, non tamen ordinatim, ſed ordine potius peruerſo atque confuſo] nullum elicitur argumentum ut ipſius ſcriptorem prophetam fuiſſe credamus, ubi enim peruertendi ordinem aſſummitur licentia, per ipſam ęnigmatum obſcuritatem, atque v arietatem, licet vt hoc, vel illud ęnigma [& ſi omnia facta ſint, & commentitia] certo cuidam Pontifici applicari poſſe videntur. Quemadmum humaniorum litterarum ſtudioſi, quamcumque ad rem [quam velint, vel laudare vel vetuperare] multa, & varia ex antiquis Arcanis, & Poetarum fabulis; præſer-

tim ſolent eruere, quæ illi facile accommodent; cum tamen nullus in animum inducat propriam ejuſmodi fabularum ſignificationem fuiſſe illam cui denuò ab ſtudioſis aptantur, ſi ergo ex Poetarum fabellis, non nulla per ſpeciem afferri potuerunt ad ſingulare aliquod eventum ornandum, quid mirum ſi ad ejusdem ſignificationem ſymbolicam, aliquid ex Apocalypſi trahatur, licet à sacri Scriptoris mente valde ab horrens, præſertim cum tanta ſit in eo libro ſymbolorum, & ænigmatum varietas. Præter quamquod eo faciliùs poſſunt ejuſmodi ęnigmata ad varios ſenſus detorqueri, ſive vtrumque applicari, quo obſcuriora ſunt ad difficiliora. Hanc ob rem aſtrologi judiciarij ne ita facilè mendaces deprehendantur obſcure admodum de futuris enunciant. Atque idem prorſus eo libro de Pontificum Prophetijs ſupradicto contingit, cui cum tantæ ſint obſcuritatis tenebrę offuſſæ, facilę eſt aliquod ex iis ęnigmatis, ſeu deliriis potius, ad Sixtum V. aut Gregorium XIII. aut alium, quemvis accomodare.

Cęte-

Cæterum ſapientes, jure librum illum irrident, quod ea contineat Vaticinia, quæ Pontificibus, per ordinem minimè poſſint aptari. ſi tamen aptari perfecte, & ordinate poſſent, dificultas illa tandem vinceretur liberque ipſe ſumma apud omnes eſſet in veneratione. Ex quo infero tanti momenti eſſe, totam Apocalypſim ad Theologicam Eccleſię hiſtoriam per ordinem applicare, vt illi ipſi, qui olim de libri hujus auctoritate dubitarunt, ſi quam fortè aptam, & congruentem Apocalypſeos applicationem ad id quod propoſui Argumentum, ſive Acoluthiam reperirent; Hoc idem eos pervinceret, & hanc eſſe Spiritus Sancti Prophetia, & omni veneratione digniſſimam, fateri cogerentur, cum hoc argumentum, nobiliſſimam Eccleſię Prophetiam contineat, ſymbolorum autem ſeries, manifeſte quadrata, cum veritate [cum librum ante Eccleſiæ de Roma triumphum fuiſſe ſcriptum conſtet] dubios confirmaret omninò nec ampliùs de eius auctoritate dubitare permitteret.

Quid igitur aut fidelium conſolationi

Ma-

Majus, aut Apocalypſeos Auctori magnificẽtius excogitari poſſet; quam id quod exordinata, & convenienti ejus libri ad prędictũ argumentum applicatione præveniret. Si liber hic ſummę eſſet apud omnes exiſtimationis, & divini numinis afflatu crederetur ſcriptus? etiam ſi non antea ab Eccleſia id fuiſſet decretum, nec de ejus Scriptore conſtitiſſet. Quid inſuper majori æſtimatione dignius eſſet, quam ſi illud ænigma, in quo tot graves Auctores, ſive ejus auctoritatem derogando, ſive fabulosè interpretando, offenderant; manifeſtè conſtaret ideò fuiſſe, aut rejectum; aut ad ejuſmodi commenta detortum, quod minimè fuiſſent ipſius ſenſum aſſecuti; & eam germanam interpretationem in omnia quadrantem, quam Romanæ Eccleſiæ filii, & præſertim Theologi aptare maximè potuiſſent. Et hactenus de primo ordinatæ applicationis emolumento. Alterum notatione ſequenti ſubiiciam.

Sub-

Subjungit idem Author Not. 22. *ut ſequitur* .

PRæterea habeo aliquid quod ſingulis argumentis ſupra poſitis reſpondeam. Ad primum credat, qui volet, Abbatem Joachimum fuiſſe Dei Prophetam; non ego qui noverim illum in Arcano Trinitatis Myſterio craſſiſimis tenebris fuiſſe cicumfuſum; & quæ oſcitans hallucinatus erat turpi errore, ab antiqua Eccleſiæ doctrina recedendo eam voluiſſe invehere in Chriſtianas Scholas, ut pro unico Deo, tres deinceps Dei adorarentur. De hoc verò illius errore conſtat, & habetur de ſumma Trinitate, & Fide Catholica, cap. *Damnamus*. Quare ſi qua unquam Joachimo illuxit Prophetiæ lux; cum conſtet etiam ab ea aliquando deſertum, & propriis judicii præſtigijs, deluſum manifeſtum quoque erit, non irrogari ei iniuriam, ſi dicamus aliqua ab ipſo exiſtimata fuiſſe prophetica enunciata, quæ ſomnia potius erant, atque deliria. Cujuſmodi eſt temporibus à Deo mittendis; qui non ſint

Chri-

Chriſti Apoſtolis futuri inferiores. Atque hoc ille ſomnium perſuadet ſibi in litterali Apocalipſeos ſenſu contineri in numero viginti quatuor Seniorum. Quare tantum abeſt, ut ipſius veſtigiis inſiſtere debeant prudentes Apocalypſeos expoſitores; & potius mihi erroribus vanis, & illuſionibus, ſeu falſis perſuaſionibus obnoxii videantur, qui Joachimum in Apocalypſi ſequuntur Ducem, & ipſius interpretationibus adhærent. Hactenus Alcazar. Nonnulli Authores acriter contendunt eundem Joachimum prophetizaſſe de Sanctis Patriarchis Dominico, & Franciſco, & curaſſe eorum effigies efformari in Eccleſia Sancti Marci Venetiis, ut ſupra dictum eſt. Sed quidam recens Author illam hiſtoriam accuratè diſcutiens, probat ex Annalibus Reipublicæ Venetæ, eam Eccleſiam; cum annexo Palatio Ducali incendio conflagraſſe Sæculo integro poſt obitum Joachimi, itaut non remanſerint veſtigia illarum Imaginum. Ait præterea viſas fuiſſe Imagines quidem deſcriptas in illà Eccleſia, non tamen Sancti Franciſci, ſed Sancti Pauli, & Sancti

Domi-

Dominici, & loco Imaginis Sancti Pauli, ſucceſſu temporis efformatam fuiſſe imaginem Sancti Franciſci. Subjungit pręterea, eam prophetiam qualiſcumque ſit, non fuiſſe Joachimi, ſed Cyrilli Anachoretæ Montis Carmeli Joachimo, cum exponeret, miſſam, ſed ſanè, ſive illam, ſiue ejus eypoſitionem penitus inſpicias, obſcuro ęnigmati ſimilis eſt; hæc ita ſe habet, *Felix qui mundo collegerit Sextarios triginta hic areæ, hic non invidebit ſuperbis Cornutis à tergo.* Hanc itaque exponit Joachimus, *Felix qui caſtitatem matrimonialem illibatam ſervaverit, hic non invidebit religioſis, qui caputiorum cornua portant poſt tergum.* Quis nunc divinabit ſenſum iſtius ænigmatis, vel effati, cum Benedictini, & Carthuſiani portent acuta caputia quid hæc cum Sancto Franciſco, & Dominico?

Cæterum ex dictis hucuſque apertè colligitur, nullam vel exiguam præſtandam eſſe fidem præfati Joachimi Vaticiniis, vel enigmaticis expoſitionibus, multò minus, jis prophetiis, quæ hactenùs circumferebantur ſub nomine Sancti Malachiæ, de quibus, ut

dixi

dixi inPrefatione facilè verificatur illud Eccleſiaſtici 34. verſ. 2. *Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia, hoc ſecundum, hoc, viſio ſomniorum ante faciem hominis, ſimilitudo hominis*, ideſt ut exponit Cornelius a Lapide viſio ſomniorum non eſt aliud, quam repræſentatio quædem, quâ hoc eſt ſecundum hoc id eſt hoc, huic apparet ſimile, ſicut cum ante faciem hominis ponitur ſimilitudo hominis in ſpeculo, vel in aqua denique de præfatis Vaticiniis rectè dici poteſt ex eodem capite verſu 5. *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia maleſacientium vanitas eſt*, quibus ibidem monetur, *NE DEDERIS IN ILLIS COR TVVM*.

F I N I S.

2952158